De Maximi Tyrii codicibus

Dissertatio Inauguralis
Quam
Amplissimi Philosophorum Ordinis
Consensu Et Auctoritate
In Academia Georgia Augusta
Ad
Summos In Philosophia Honores
Rite Capessendos

Scripsit

Fridericus Schulte
Berleburgensis

Gottingae
Officina Hubertiana Typis Expressit
MCMXV

De dissertatione probanda ad ordinem philosophorum rettulerunt
M. Pohlenz et P. Wendland.

Examen rigorosum habitum est a. d. VIII id. Quint. anni MCMXIV.

Parentibus sacrum.

Conspectus argumenti.

§ 1.

Hobeinius, qui ante quattuor fere annos novam Maximi Tyrii editionem paravit [1]), optime de huius declamationibus meritus est, quod non solum codicem R, quem omnium optimum esse iam ante eum constabat, accuratissime perscrutatus est, sed etiam omnes fere codices, qui quidem exstent, diligenter descripsit [2]). Male autem sine dubio rem gessit, quod in una tantum oratione 34 omnes codices, quos aliquid valere sibi persuaserat, ad Maximi verba restituenda adhibuit [3]), in universum praeter R nonnullos tantum codices, quos vilissimos esse ipse non ignoravit, cum facile in usum vocari possent, contulit. Itaque cum mihi iterum de Maximi memoria agere proposuissem, id quidem statim vidi non sufficere Hobeinii copias ad rem perspiciendam, sed inprimis codicum A W Z U, quos meliores esse ceteris statim apparet, ampliorem notitiam anquirendam esse. Quam ob rem codicum A W Z U orationum 6—15 specimina mihi comparavi [4]), ad quae accedunt in orr. 30—35, 1 librorum W U specimina, quae Mutschmannius vir doctus mihi misit [5]).

---

[1]) ‚Maximi Tyrii philosophumena'. ed. Hob. Lipsiae 1910 ap. Teubn.


[2]) cf. praefationis pp. XX—XLIX.

[3]) ita Hob. codd. orationibus adhibuit (cf. p. LXXIII): or. 34: R A W Z U B H Q V M N G X Y D F T E $\alpha\varphi$; or. 28: R W M N H C D I $\alpha\varphi$; or. 11: R B H M N O P S $\alpha\varphi$; orr. 30—33: R B H M N Q V $\alpha\varphi$; or. 12: R B H M N O P $\alpha\varphi$ or. 9: R B H M N K $\alpha\varphi$; or. 14: R B H M N P $\alpha\varphi$; orr. 1—8: 10; 13; 15: R B H M N $\alpha\varphi$; orr. 16—27; 29; 36—41: R H M N $\alpha\varphi$.

[4]) Bodleianae, Vaticanae, S. Marcianae bibliothecarum administratoribus, qui, ut specimina illorum codicum perficerentur, benigne permiserunt, etiam hic gratias agam. Simul etiam hoc loco viris doctis Pohlenz, H. Schultz, Pasquali, Mercati, qui in speciminibus comparandis me opera et consilio adiuverunt, denique etiam terrae Cattorum magni ducis bibliothecae administratoribus, qui a me rogati codicem 2773 benigne miserunt (cf. p. 5 sqq.), gratias ago.

[5]) Cui denuo gratias persolvo.

Hobeinius ipse quo modo de codicum cognatione iudicaverit, e stemmate intellegas (p. LXVIII) ab eo ficto[1]):



Quae necessitudo utrum re vera inter codices intercedat necne, ut perscrutemur, nobis propositum est[2]).

Talis autem quaestionis duae exstant viae sc. primum singulorum codicum verborum menda perquirenda sunt, deinde codicum species externa examinanda est, nam respiciendum est,

---

[1]) Mirum est quod Hobeinius hoc stemma proponere ausus est, quamquam J in or. 28 sola, K in or. 3, A W Z U in sola or. 34 adhibuit. Nam quomodo omnium codicum stemma fingi poterit, nisi nos omnes, quorum memoriae stemma ante oculos ponere in animo habemus, codices in eadem oratione adhibuerimus? Ceterum Hobeinius in Maximi verbis restituendis ita semper agit, ut unum R librum testem esse credat.

[2]) Hoc opusculo — ad quod componendum commotus sum medio circiter anno 1912, cum in seminario Gottingensi Maximi Tyrii orationes interpretati sumus, — fere confecto in lucem prodiit Mutschmanni tractatus, quem inscripsit ‚die Überlieferungsgeschichte des Maximus Tyrius‘ (Rh. M. N. F. Bd. LXVIII, 1913). Cuius viri docti sententiae quamquam cum huius dissertationis exitu omnibus fere locis consentiunt, tamen operam meam vanam non fore spero, quia omnia brevius ille egit, quam ut statim omnibus persuadere sententiam suam posset. Neque tamen iam necesse erit de iis, quae Hob. cum secundo (II. ‚de codicum memoria‘) tum tertio (III. ‚de codicum auctoritate‘) capitibus protulit, post Mutschmannium agere, atque omnino in locos ab illo tractatos tum tantum accuratius inquiram, si ab eo dissentiam.

quorum iuxta Maximum nonnullis codicibus tradantur auctorum opera [1]), quo quisque codex ordine orationes exhibeat, qua denique dissertationum numeratione usus sit.

Qua in quaestione ita versabimur, ut ea argumenta, quae nondum imaginem plane certam nobis praebere possunt (sc. operum illorum ordinem, orationum ordinem numerationemque), primum tractemus, deinde orationum 34, 6—15, 30—33, 35, 1 certis locis verborum memoriam perscrutemur.

Codices, quos in hac dissertatione in usum vocavimus, sunt hi:

a) libri superiores:

saec. XI i Paris. Reg. 1962 R
„ XIII i Vaticanus 1390 U [2])
„ XIV i Bodleianus 239 A
„ XIV i Vaticanus 1950 W
„ XV i = Venet. S. Marci 514 Z.

b) libri deteriores:

saec. XV i Bernensis 662 B
„ „ Harleianus 5760 H
„ „ Barberianus 1579 G
„ „ Vaticanus 236 X
„ „ Ambros. R 25 sup. D
„ „ Vindob. 335 V
„ „ Venet. S. Marci 254 Y.
„ XVI i Monacensis 67 M
„ „ „ 75 N

[1]) de codicibus R (A) W U Q V agitur, ut infra accuratius videbimus. Exstabat enim olim in R libro iuxta Maxim. et Ps. Alcinoum, qui hoc ordine nunc quoque in R inveniuntur, etiam Albinus Platonicus, ut ex indice nunc in fol. 146b exstante (Hob. p. XXI et nos pp. 9. 10) apparet. Simul autem ex hoc indice elucet Ps. Alcinoum olim codice ineunte positum esse, secundo loco Albinum, tertio Maximum, inverso igitur ordine, quo R nunc illorum auctorum opera Albino amisso exhibet. Quem ordinem secuti libri WUQV illa opera praebeant, infra dicemus.

[2]) iam hic dicere liceat ea, quae Hob. de codd. U et G scripsit p. XXXIX, pugnare cum verbis eius pp. LXII et LXXII exstantibus. Hic enim dicit: U cod. saec. XII i, cum pp. LXII et LXXII scribat: U cod. s. XIII i (quod rectum est). Idem de G dicendum est: pp. XXXIX et LXII: cod. saec. XV i exeuntis, p. LXXII: cod. saec. XIV i.

saec. XVI i Palatin. Vatic. 53 E
" " " " 386 F
" " Paris. Reg. 1837 Q
" " Rom. Angel. T. C 4. 3 [1])

Hic etiam de excerptorum quodam codice a Crönerto in Hobeinii editionis recensione [2]) commemorato nonnulla addenda sunt. Dicit enim Crön. p. 644: ,Zu den . . . . kommt der Darmstädter Miscellancodex 2773, der in seinem Wust nicht weniges über M. T. überliefert hat', quem codicem ipse post Voltzium olim accurate perscrutatus erat [3]). Atque novem quidem affert locos, ubi Maximi Tyrii verba tradita esse putat: foll. 25v, 120r, 133v 2×, 152r, 161v 3×, 348r. Accuratius autem codicem intuenti mihi apparuit illos locos, qui exstant in foll. 25v lin. 27 s. v. ,*μαξίμου*', 133 v s. ead. voce, 161 v primum s. vv. ,*τοῦ ἁγίου μαξίμου*', deinde bis s. vv. ,*τοῦ αὐτοῦ μαξίμου*' omnes certe non Maximo Tyrio, sed Maximo Confessori deberi. Verba in fol. 133v margine sinistro extantia „. . . *τοῦ ὕδατος ἡ ψυχρότης τοῦ πυρὸς ἡ θερμότης* . . .' ad verbum quidem in Maximi orationibus non inveniuntur, tamen cum or. IX. 3 sq. (Hob. p. 102. 12 sqq.) comparari possunt. Maximi Tyrii locum, quem in fol. 152r exstare Crönertus dicit, me non invenisse confiteor. Haud scio an Crönertus duabus vocibus l. 25 traditis sc. *μνήμἄξι* (with superscript *ης* and *ος*) (= *μνήμης ἄξιος*) deceptus *μάξιμος* legens per errorem de Maximo Tyrio cogitaverit.

Restant igitur loci: foll. 120r et 348r (lin. 29), qui uterque locus apud M. T. extat. Respondent enim verba folii 120r Hobeinii editionis verbis pp. 200. 17: *ἀλήθειάν γε* — 201, 2 *διημερεύοντας* (non *-τες*, ut Crön. scribit; neque hic locus in Duebneri edit. XXIII. 3 sed XXII. 3 invenitur). Denique sequitur fol. 348r lin. 29 locus: *ὦ σχέτλιε* — *ἀπορώτατα*, quae verba apud Hob. p. 443, 7—9 exstant.

Vidimus igitur novem locorum a Crönerto laudatorum duos

---

[1]) codd. J (cf. Hob. p. XXXVII sq.) O (p. XXXIII sq.) P S (p. XXXIV sq.) K (p. XXXVII), quorum alii alias orr. tradiderunt (nullus nisi J omnes), nunc quidem neglegam et infra paucis verbis tractabo.

[2]) Berl. Philol. Wochenschr. 1913, 644 sqq.

[3]) Zentralblatt f. Bibliothekswesen XIV. Jahrg., p. 537 sqq.: „Ein Beitrag zur griech. Exzerptenliteratur."

tantum Maximi Tyrii verba continere neque hunc codicem ad auctoris orationes restituendas quicquam valere. Ne id quidem pro certo dici potest, quos ad codices Crönerti liber accedat, quia uno solo loco p. 201,1 cum WU *ἄγοντα* pro *ἄγοντας* falso [1]) exhibet.

§ 2.

Autequam ad quaestionem ipsam aggrediamur, nonnulla de specie externa codicum WZUA secundum ea, quae ex speciminibus nobis comparatis cognoscuntur, Hobeinii verbis addenda sunt:

In libro W [2])

post titulum in fol. 408 v exstantem *Μαξίμου Τυρίου Πλατωνικοῦ φιλοσόφου τῶν ἐν Ῥώμῃ διαλέξεων τῆς πρώτης ἐπιδημίας* sequuntur orr. 30—35 [3]) (secundum Hobeinii orationum ordinem) numeris *α′—ζ′* [4]) instructae. Quibus dissertationibus subscriptio addita est tituli plane similis *Μ. Τ. Πλ.* . . . ▼. ita ut sex illae orationes a sequentibus accurate separatae videantur. Subscriptio illa altero titulo *Μαξίμου φιλοσοφούμενα* excipitur, quem orr. 1—29, 36—41 (hi numeri semper Hobeinii orr. indicant) sequuntur. Totum corpus subscriptionem fert: *Μαξίμου Τυρίου φιλοσοφούμενα.*

In contextu ipso omnia ab eadem manu diligenter scripta sunt, singularum orationum tituli, numeri, initiales literae rubro colore. Quam praeter manum duae aliae inveniuntur, quarum altera paulo recentior varias interdum lectiones suprascribit, altera omnia nomina propria in margine repetere solet. Ceterum non pauca scholia antiqua ei cum R (et A) communia sunt. [5])

De Z libro

scribens [6]) Hobeinius p. XXXIX initio erravit. Fol. 176 r enim exit in verba *τὸν πέπλον σκόπει* (p. 45, 8), cum incipiat verbis

---

[1]) nam cf. lin. 2: *διημερεύοντας*, l. 3: *θαλαττουργοῦντας καὶ ναυτιλλομένους.*

[2]) ceterum cf. Hob. pp. XL sq. et LXII.

[3]) cf. Hob. p. XXIV sq.

[4]) non *α′—δ′*, ut Hob. p. XL exeunte dicit. Eodem loco scribit Hob. W librum iuxta Marcum Antonium et Maximum etiam Epicurum continere. Hob. hic errare luce clarius est. Haud scio an ‚Epictetum' (ut in libro X p. XXXV) scribere voluerit, cuius quidem in editione hic codex non commemoratur.

[5]) velut ap. Hob. pp. 114, 3; 115, 2 alia.

[6]) Hob. p. XXXVIII sq.

ὑπολισθαινόντων αὐτῇ (p. 42, 16). Deinde fol. 117 v exit in verba ὁμοφώνου (non -ως) τέχνης σκόπει (non -οι). Tertium: fol. 179 non exit in verba οὐδενὶ χρηστῷ, sed incipit illis verbis (p. 53, 8). Denique in fol. 193 (p. 127, 5) or. XI titulus ita exstat in Z: τίς ὁ θεὸς κατὰ Πλάτωνα· λόγος et in mge ιζ'. Apparet Schenkl[1]) altera vocis Πλάτωνα litera α· deceptum putasse non ιζ' sed illam α· literam cum voce λόγος esse coniungendam.

Ceterum omnia scripta sunt ab eadam manu, cui etiam correcturae quamvis paucae et permultae notulae in mge debentur. Singulorum enim foliorum margo abundat nullius momenti notulis ad orationum dispositionem potissimum aliasque res pertinentibus.

De U codice

haec addenda sunt: post titulum *Μ. Τ. Πλ. φιλοσ. τῶν ἐν τῇ*[2]) *῾Ρώμῃ* . . . exbibet U liber orr. 30—32, quarum ultimam excipiunt verba *Μαξίμου Τυρίου Πλατωνικοῦ φιλοσοφούμενα λόγοι λη'*[3]) ad orationes sequentes pertinentia. Sequuntur orr. 33—35 usque ad medium fol. 91 v. Cuius folii in margine superiore a manu, quae aetate primae fere suppar est[4]), additus est titulus: *Μ. Τ. Πλ. φιλοσ. τῶν ἐν* (nunc omissus est articulus τῇ ut in R A W!) *῾Ρώμῃ* . . . . Sequuntur orr. 1—29, 36—41.

Complures in U libro discernuntur manus, quarum primae ipsa Maximi verba, nonnullae correcturae variaeque lectiones inter versus scriptae debentur. Quam praeter manum certe duae inveniuntur aliae, a quibus vel variae lectiones vel verba ab U^1 neglecta vel scholia margini adduntur, perraro ipsa verba mutantur[5]). Neque vero in iisdem dissertationibus utraque exstat manus: altera enim in orr. 6—15 (= U^2) altera in orr. 30—35 et 1 (= U^3) deprehenditur[6]). Ceterum utraque fusciore quam U^1 utitur atramento et certe varias ex alio vel aliis codicibus lectiones in U infert. Id inde colligi potest, quod utraque manus

---

[1]) cf. etiam Hob. p. 127. 5 in ‚appar. crit.' et pp. XXIV—XXV sub VI.

[2]) quo in titulo animadverte articulum τῇ ante ῾Ρώμῃ vocem additum, qui in RAW hoc loco non invenitur.

[3]) de hoc numero infra dicemus (p. 14).

[4]) cui etiam nonnullae variae lectiones debentur, quas infra afferemus.

[5]) scil. de iis tantum orationibus dicere possum, quarum specimina mihi praesto sunt.

[6]) iam diximus U^2 aetate primae manui fere supparem esse; etiam U^3 eiusdem videtur aetatis.

compluribus locis γράφεται (interdum ‚ἄλλως‘ vocem addens) variis lectionibus praemittit. Velut U [2] p. 391, 6. 7, ubi U [1] lacunam indicat, i. mge addit: ἐν ἄλλῳ (sc. βιβλίῳ) οὐ λείπει. De utriusqe manus lectionibus cogitanti mihi vix dubium videtur, quin utraque — altera alteram excipiens — ex eodem hauserit fonte. Quod eo verisimilius est, quia eiusdem videntur aetatis.

Quarta denique manus tribus modo dictis multo recentior pauca tantum et minimi momenti verba in margine adspersit et titulos male scriptos hoc vel illo loco iteravit.

Multo autem graviora sunt, quae de

A

codice Hobeinii descriptioni addere possum: Codex A [1]) 142 (non 144, ut Hob. vult p. XLIX) continet folia, quorum 1 r, v, 17 r, 36—76 mihi praesto sunt. Fol. 1 r eundem quem R exhibet pinacem: *Μαξίμου Τυρίου Πλατωνικοῦ φιλοσόφου πίναξ τῶν λόγων περιεχομένων ἐν τῇ βίβλῳ* e. qu. seqq [2]). Qui pinax subscriptionem habere videtur *Μαξίμου Τυρίου φιλοσοφούμενα* nunc scidula agglutinata fere deletam. Fol. 1 praebet titulum *Μαξίμου Τυρίου Πλατωνικοῦ φιλοσόφου τῶν ἐν Ῥώμῃ διαλέξεων τῆς πρώτης ἐπιδημίας*, quem prima (30 ap. Hob.) sc. *περὶ ἡδονῆς* . . . oratio sequitur. In folio postremo subscriptum est *Μαξίμου Τυρίου φιλοσοφούμενα.*

De codicis compositione dicenda sunt haec: quattuor primi quaterniones (folia 1—29 v tantum explentes [3]) in superioris marginis cuiusque quaternionis angulo dextro sunt signati. Cum foliorum 1 et 9 anguli non iam exstent, fol. 17 fert numerum *γ'*, 25 r numerum *δ'*, ita ut quattuor primi quaterniones numeris *α'—δ'* fuerint instructi. Inde a quinto quaternione nova incipit numerandi ratio: fol. 30 *λβ'*, 38 *λγ'* usque ad 134 = *με'*. Omnibus autem quaternionibus ligatis totus codex inde a fol. 1 usque ad ultimum etiam in margine inferiore numeris affectus est [4]): fol. 1 *α'* etc.,

---

[1]) quae de A libro profero, partim debeo bibliothecae Bodleianae custodi Herberto Craster, qui interroganti mihi benignissime semper respondit, partim ipse e speciminibus intellexi. Illi viro docto etiam hic gratias agam.

[2]) omnia plane ut R. cf. Hob. p. LXXVI.

[3]) desunt igitur quarti quaternionis tria folia idcirco fortasse abscissa, ut quaternio sequens a nova manu scriptus statim ad verba praecedentia annecti posset.

[4]) quattuor primorum quaternionum paginae primae et ultimae i. mge

quae numeratio, quia a manu recentiore est perfecta, nullius nobis momenti est.

Superioris autem marginis numeri haud eadem manu scripti sunt: numeri enim α'—δ' manui debentur, quae quattuor primos scripsit quaterniones, cum quaternionum sequentium suum quaeque manus numerum scripsisse videatur. Inde a quinto enim quaternione — ut infra accuratius dicemus — codex ita a diversis manibus scriptus est, ut singuli quaterniones singulis scribis debeantur [1]. Quomodo autem factum est, ut inde a quinto quaternione numeri $\lambda\beta'$ . . . legantur? Quod ut intellegamus, in comparationem vocare debemus R libri corpus. in quo [2]) iisdem fere locis iidem exstant numeri (cf. p. 45. 5, fol. 33 r: $\Lambda B'$; p. 72. 1, fol. 41 a: $\Lambda\Gamma'$ etc.). In R autem codice numeri inde explicantur [3]), quod praeter Ps.-Alcinoum (quaterniones A'—Δ' explentem) et Maximum (quatt. K H′—M S′), qui adhuc in codice inveniuntur, etiam Albinum (sc. quatt. E′—K Z′) olim codex continebat. Non potest igitur dubitari, quin *etiam in A libri archetypo tres illi Platonici fuerint.*

Ceterum folia literis completa sunt exceptis foliis 29 v et 109 v, quae sunt ultimae quaternionum scidulae. Medio enim in folio 29 v atque medio in enuntiato aliquo desinit scribere librarius, quod enuntiatum recte continuatur folii 30 r initio, quae est prima novi quaternionis scidula. Fol. 109 v plane est vacuum. Alibi vero in ultimis quaternionis paginis subito scriba multo brevioribus literis utitur, quam antea usus est. Quae res una ratione explicantur. Scilicet scribae, qui, ut antea dixi, singulos codicis quaterniones scripserunt, *ita opus inter se partiti sunt, ut unusquisque unum archetypi sc. soluti quaternionem describendum susciperet.* Librariorum autem alii brevius scribentes non satis compleverunt totum quaternionem [4]), alii

---

inferiore numeris affectae sunt. Folii 1 margini inferiori scidula agglutinata est ita ut numerus non iam legi possit.

[1]) animadverte scidulam 32 a manu recentiore numero ε' affectam in codice ipso re vera non *primo* novi quaternionis *loco* inveniri sed tertio. Quod etiam nunc e codice ipso intellegi potest (teste Herberto Craster).

[2]) cf. Hob. pp. XXI—XXIII.

[3]) cf. indicem nunc fol. 146v in R exstantem: Hob. p. XXI et huius opusc. pp. 9. 10.

[4]) velut foll. 29 v, 53 v, 109 v; 45 r, cuius folii lineola ultima non est expleta, cum fol. 46 r nova incipiat manus.

latius scribentes, quaternione exeunte ne spatium desit, brevioribus literis utuntur [1]). Atque nunc velim haec consideres: primum enim isdem verbis. quibus codicis A prima manus (i. e. quae quattuor priores scripsit quaterniones) medio in folio 29 v, quamquam enuntiatum finitum non est, desinit, libri R, qui continuus ab eadem manu est scriptus, quartus quaternio (*Λ A'*) finitur (sc. *Συρίου τὴν* p. 45. 5 ap. Hob.). Deinde in R novus quaternio semper iisdem quibus in A vocibus et incipit et finitur: iam apparebit A librum fluxisse ex ipso codice R, cuius quaterniones, quo celerius filius cresceret, erant soluti.

§§ 3—5.

Quae quoniam de codicibus W Z U A praemisimus, quaerendum est primum, quid ex Ps.-Alcinoi [2]), ⟨Albini⟩, Maximi in R W U Q V codicibus operum ordine de codicum cognatione concludi possit, deinde, quae ratio inter codices, quod ad orationum ordinem attinet, intercedat, denique quibus quisque codex numerorum signis singulas orationes instruxerit [3]).

§ 3.

Quae priusquam accuratius tractemus, redeamus ad primam quaestionis partem sc. ad auctorum illorum ordinem.

Codex R
in fol. 146 v (r literis est vacuum) hunc praebet
indicem [4]) a prima manu scriptum:

※ *ἡ βίβλος ἥδε ταῦτ' ἔχει γεγραμμένα.*
※ ※ ※

α' Ἀλκινόου διδασκαλικὸς | τῶν Πλάτωνος δογμάτων.
β' Ἀλβίνου τῶν Γαίου σχολῶν | ὑποτυπώσεων Πλατωνικῶν |
δογμάτων α' β' γ' δ' ε' ϛ' ζ' η' ϑ' ι'.
γ' τοῦ αὐτοῦ περὶ τῶν Πλάτω|νι ἀρεσκόντων, τρίτον. |

[1]) velut fol. 37 v.

[2]) de Ps.-Alcinoo et de utroque Albini opere cf. Hob. pp. XXII, XXIII. Freudenthal, Hellen. Studien III, p. 322 sqq. Pauly-W., Realencycl. s. v. Albinus 4. cf. etiam huius diss. p. 3 adn. 1.

[3]) quo facilius cognoscas, quae nunc dicere velim, duas tabulas (I et II) opusculo apposui. [4]) cf. Hob. p. XXI.

δ' Μαξίμου Τυρίου Πλατωνι|κοῦ φιλοσόφου τῶν ἐν τῇ | (sic!) *ῥώμῃ διαλέξεων τῆς πρώ|της ἐπιδημίας α' β' γ' δ'*: *ε' τοῦ αὐτοῦ φιλοσοφούμενα λλλα'* [1]).

..... ※ ..... ※ ..... ※ .....

Quo cum indice si, quae inveniuntur in codice, comparaveris, intelleges Albini utrumque opus in eo non exstare et Maximi orationes ante Ps.-Alcinoum positas esse. Quam ob rem quaestiones oriuntur: primum, num exstiterint olim in R codice (s. XI[1]) trium auctorum illorum sc. Ps.-Alcinoi, Albini, Maximi opera, deinde — si exstiterunt — quo ordine fuerint scripti.

Tres illos auctores in R libro exstitisse si negamus, ponere debemus R codicem ex exemplari plane sui simili fluxisse. Sed ut concedam librarium tantopere ‚*δούλου δίκην*' egisse, ut fontis, e quo hausit, indicem falso praesertim loco exstantem neque respondentem codicis corpori stupide susciperet, quo modo explicandum videtur, quod R libri quaterniones Maximi dissertationes praebentes (fol. 1—145) numeris ΚΗ'—ΜS' a prima manu sunt instructi, cum altera codicis pars Ps.-Alcinoum scil. continens eadem quoque manu numeris *Α'*—*Δ'* signata sit ita ut quaternionum numeri indicis ordini optime respondeant? Num etiam hos numeros R codicis librarius e fonte suo temere recepit? Tota autem quaestio tum soluta videbitur, si nobis contigerit, ut decernamus, utrum fol. 146, in quo index scriptus est, cum antecedente vel sequente[2]) foliis coniunctum sit necne? Qua de re bibliothecae Paris. Regiae custos Omont[3]) interrogatus haec mihi benignissime respondit: ‚Le fol. 146 est remonté sur un onglet[4]), mais la reliure est tellement serrée au fond qu'il est impossible de voir s'il est indépendant ou non du fol. 145. Il y a bien de probabilité qu'il est indépendant . . .' Sane mihi quidem inde, quod fol. 146 (pagina recta est vacua, cum v illum indicem contineat) ‚crassae', ut ita dicam, ‚chartae' agglutinatum

---

[1]) = *λόγοι λα'*?

[2]) fol. 146 cum sequente folio (147) non cohaerere vel inde apparet, quod fol. 147 novi quaternionis numero *Α'* est instructum.

[3]) cui viro docto, quia saepius de R libro quaerenti mihi semper benignissime responsa dedit, etiam hic gratias agam.

[4]) sc. quo melius cum ceteris foliis colligari posset.

est, concludendum videtur pro se olim id exstitisse neque coniunctum esse cum folio antecedente. Argumentum autem omnino certum huius sententiae nos afferre non posse dolemus. Neque id pro certo diiudicari potest, utrum R ipse primum fuerit corpus tres illos ‚Platonicos' continens an ex eiusmodi exemplari fluxerit. Tamen et indicem illum (ab R^1 script.) et quaternionum numeros (*Μάξιμος*: K H′—M S′. Ps.-*Ἀλκίνοος*: *A′*—*Δ′*) ab eadem manu, quae etiam Maximi ipsa verba scripsit, esse scriptos [1]) cogitans, considerans etiam fol. 146 pro se exstare videri [2]), omnino non negabis certe veri simillimum esse in ipso R olim etiam Albinum iuxta Ps.-Alcinoum et Max. exstitisse (cf. Hob. p. XXII, Mutschm. p. 565sq.) atque hoc quidem ordine, quem index praebet: Ps.-Alcin. quatt. *A′*—*Δ′*. Albinum quatt. E′—K Z′, Maxim. K H′—M S′. Quoquo modo res se habet, maximi est momenti, quod etiam in iis codicibus, quibus praeter Maximum illorum auctorum opera continentur. Albini utrumque opus deest: sc. in U (saec. XIII¹), qui Ps.-Alcin. et Maximum secundum indicis ordinem exhibet, deinde in W (saec. XIV¹) libro eodem quo R ordine (i. e. Max. Tyr. ante Ps.-Alcin. posit.) auctores illos continente, denique etiam in codd. Q (s. XVI¹) V (saec. XV¹), qui ut U vero ordine illa opera praebent [3]). Accedit quod in Albini codicibus sc. iis, qui tractatum *περὶ τῶν Πλάτωνι ἀρεσκόντων* exhibent (nam Gai scholae plane perierunt), neque Maximus neque Ps.-Alcinous inveniuntur. Neque praetermittendum mihi videtur, quod in libris, qui praeter illos duos ‚Platonicos' etiam aliorum opera continent, ab his nova quaternionum numeratio incipit (cf. Hob. p. XXII). Apparet ergo etiam codices U W Q V [4]) ex exemplari descriptos esse, quod hos solos

---

[1]) teste Omont.

[2]) accedit quod supra vidimus R librum, quo celerius A filius cresceret, saeculo quarto decimo — si omnino fuit ligatus — certe fuisse solutum. Novo enim R codicis involucro adscriptus est annus 1603. cf. de libris tum ligatis S. Louys Jacob ‚Traicté des plus belles bibliothèques'. Paris. 1644. 8⁰ p. 462: „la plus grande partie de ces livres sont reliés en marroquin incarnat; et la despense qui fut faite pour cela, fut prise sur quelques rentes qui appartenaient aux Jésuites, des quelles le Roy jouissait pendant leur expulsion du Royaume." (Omont). [3]) In A libro, quem ex ipso R fluxisse iam supra demonstravimus, **unus** Maximus invenitur.

[4]) Q V libros ex ipso U fluxisse infra videbimus.

contineret. Quod exemplar ipsum fuisse R quamquam argumento omnino certo adhuc demonstrari non potest, tamen veri simillimum esse nemo negabit. Quo modo autem tum factum est, ut U Alcinoi et Maximi libros secundum verum indicis ordinem exhibeat, W cum codice R consentiat[1])? Cuius rei explicandae duae viae patent: aut enim U codicis vel exemplaris antecedentis librarius indice inspecto verum restituit ordinem aut — id quod verisimilius est — codex R, postquam ita discissus est, ut Albini opera plane perirent, primo quidem tempore verum ordinem (Alc.-Maxim.) servabat atque tum codex U ex eo descriptus est[2]); postea vero, cum codex nondum iterum ligatus esset, ordo commutatus est, priusquam W describeretur. Hunc autem commutatum ordinem etiam servavit, cum eam formam, quam nunc habet, accepit. Quod si ponimus, facilius etiam explicatur, quod in codice A describendo singuli codicis R quaterniones singulis scribis mandati sunt.

Ceterum quod ad codicem W attinet, ex inverso Alcinoi Maximique operum ordine, quo etiam R nunc utitur, Hobeinius (p. XL s. W) et Mutschm. (p. 570 exeunte) concludunt W certe fluxisse ex R. Atque sane concedendum est sic rem facillime explicari, quamquam omnino certa ea suspicio non est. Nam si poneremus iam archetypum codicis R Maximum et Ps.-Alcinoum solos continuisse, novus operum ordo etiam ita ortus esse potest, ut W codicis librarius fontis sui operum ordinem commutaverit, quia Maximi orationes maius Alcinoo explent spatium.

Etiamsi igitur ex argumentis adhuc prolatis codicum R W U Q V cognationis imaginem omnino certam nondum fingere possumus, tamen confiteri debemus verisimillimum esse codicum W U Q V alium alia via redire ad librum R. De Z libro, quia Ps.-Alcinoi vestigia non praebet, hac ratione nihil concludere possumus, cum A ex ipso R fluxisse iam supra demonstraverimus.

---

1) etiam sequentia dicens U W Q V libros ad R redire semper pono.

2) U codicem ex R fluxisse si accipimus, etiam intellegimus, quo modo vox τῇ ante Ῥώμῃ in pleniorem illum titulum a prima manu scriptum (in U libro) pervenerit (cf. p. 6): exstat enim in R libri indice (cf. p. 10) eadem vox τῇ, unde indice inspecto eam recepisse videtur U codicis librarius. Quod si verum est, novum U libri ex R profecti argumentum habemus.

§ 4.

Quae quoniam de Ps.-Alcinoi, ⟨Albini⟩, Maximi in codicibus R W U Q V ordine praemisimus, ad codicum diversam orationum ponendarum rationem perquirendam accedere liceat. Hanc quaestionem et sequentem (sc. in paragr. 5 tractatam) ut secernerem, commotus sum ea re, quod hi vel illi codices, quamvis in ordine quidem praebendo inter se consentiant, tamen in numeris orationibus adhibendis non eandem quam ceteri secuntur rationem, velut: quamquam alter codicum R A ordo (cf. tab. I; sc. ab Hobeinii or. 30 numero α′ incipiens) et ordo librorum W Z unus atque idem est: = 30—35 1—29 36—41, tamen in numeris additis (cf. tab. II) valde inter se differunt ita ut R ultimam (= or. 41 ap. Hob.) orationem numero λε′, libri W Z μα′ numero afficiant.

Sed ut ad quaestionem ipsam aggrediamur:

In codice R

duae orationum ponendarum rationes inveniuntur [1]), quarum altera ab ea oratione, quae apud Hob. primo loco exstat, incipit (*A′*), cum altera ab ea oratione initium capiat, quae in R nunc quidem prima est, in Hobeinii autem editione et secundum alteram rationem 30. loco invenitur. Utra ratio vetustior sit, haud scio an vel ex eo intellegatur, quod numeri eius rationis, quae ab Hobeinii oratione prima incipiens usque ad finem i. e. ad or. 41 recta via producitur, literis uncialibus sunt scripti, alterius rationis numeri literis minusculis [2]). Cum vero haec sententia, ut infra videbimus, etiam aliis argumentis confirmetur, rationum alteram brevitatis causa secundum Hobeinium ‚ordinem veterem‘, alteram ‚ordinem recentem‘ liceat nominare [3]).

Ordo vetus [4])

(Hob. pp. XXIV, XXV ita posuit orationes [5]) (cf. tab. I):

1—29 30—35 36—41,

---

[1]) cf. semper tabulas I, II.

[2]) ceterum de hac re infra accuratius quaeremus.

[3]) cf. etiam Hob. p. XXIII, contra Mutschm. p. 567.

[4]) de ordine codicis K cf. p. 37 adnotationis 1 finem, quo loco de hoc codice accuratius locuti sumus.

[5]) numeri arabici, quibus utor, iterum semper Hobeinii orationum ordinem significant.

eodem igitur ordine, quo Hob. in editione sua dissertationes instruxit [1]).

Recentis autem ordinis

imago haec est:

30—35 1—29 36—41 [2]),

qua in re orr. olim 30—35 locis exstantes in initio positae sunt idcirco fortasse, quod ante or. 30 (i. e. ante primam ordinis recentis) vetustioris ordinis exstabat titulus: *Μ. Τ. Πλατ. . . . . τῆς πρώτης ἐπιδημίας*, cum ante primam ordinis vetustioris (i. e. ante septimam recentioris) nihil inveniatur nisi *Μαξίμου φιλοσοφούμενα*. Copiosiora autem illa verba subscriptionem ad orr. 1—29 pertinentem non esse inde cognoscitur, quod post or. 35 repetuntur [3]).

Ordo recentior qualis in R talis exstat in codicibus

A W Z Y,

in A autem libro solo, ut infra videbimus (cf. p. 20 et tab. II), etiam vestigia vetustioris ordinis inveniuntur [4]).

In ceteris codicibus

solutus iam exstat ordo, ut e tabula I elucet. Atque in U libro ante primam (30 sec. Hob.) orationem invenitur titulus a prima manu scriptus: *Μ. Τ. Πλ. φιλ. τῶν ἐν τῇ Ῥώμῃ κ. τ. λ.* [5]) Deinde orr. 30—35 in duas partes sc. 30—32 et 33—35 sunt divisae titulo iam supra commemorato: *Μ. Τ. φιλοσοφούμενα λη'* [6]) (cf. p. 6).

Etiam in libris B H Q V N, quos cum M G X T D E F O P S *αφ* ‚vulgatam' nominare liceat, quia ad U omnes redire

---

[1]) quamquam Mutschmannio plane assentior dicenti (p. 567, adn. 3) non rectum esse ordinem numerationemque usu recepta commutare, tamen literarum causa meum puto in ordine et numeratione diiudicandis (quod infra demonstrabimus) contra Mutschm. ab Hob. stare.

[2]) cf. etiam indicem libri R ap. Hob. p. XXI, huius opusculi pp. 9. 10.

[3]) ita ut post or. 30 pro subscriptione exstent.

[4]) cf. tab. II: orr. 7—15, 19—20, quarum numeri vetustiores exceptis numeris orationum 9 et 10 sunt deleti.

[5]) Utra lectio — ‚τῇ Ῥώμῃ' an articulo omisso ‚Ῥώμῃ' — praeferenda sit, cognoscimus e Suidae verbis: ‚. . . ἐν Ῥώμῃ' (Hob. p. LXXIII). *Τῇ* igitur articulus, qui iam in R libri indice (cf. pp. 9. 10) invenitur, non recte exstare puto. Ex ea autem re, quod etiam codd. B H Q V *τῇ* vocem tradiderunt, certe apparet hos codices cum U certa ratione cohaerere.

[6]) = 38; errat igitur ipsius U codicis vel exemplaris antecedentis alicuius librarius tres orationes de voluptate habitas tantum ‚*τῇ πρώτῃ ἐπιδημίᾳ*' deberi putans. cf. etiam Mutschm. p. 572, indicem libri R, codd. B H Q V.

infra demonstrabimus, orr. 30—35 certis titulis (in B H titulo: *Μ. Τ. Πλατ. φιλοσόφου φιλοσ. λόγοι τριάκοντα ἕξ* (cf. *λη'* in U!), in Q V N titulo *Μ. Τ. φιλοσοφ.* omisso numero) in duas illas partes sunt divisae. In codicibus B H orr. 33—35, ut or. 33, quae ‚*τί τέλος φιλοσοφίας;*' inscribitur, prima esset, in initio positae sunt (cf. Mutschm. p. 572), orr. 30—32 in codicum fine.

Libri Q V,

e quibus V corpus illud orr. 30—35, Q orr. 33—34 praebent, ante or. 30 eundem quem U exhibent titulum addito articulo *τῇ*.

Ceterum et cod. U et libri B H Q V codicum R A W Z ordinem servaverunt:

U:	**30—32**	33—35	**1—29**	**36—41**	
B H:		33—35	**1—29**	**36—41**	**30—32**
Q V:	**30—32**	33—35			

Elucet, ni fallor, iam nunc hos quinque codices, quippe qui orr. 30—35 diviserint, artiore cognationis vinculo inter se coniunctos esse.

Plane vero solutum ordinem invenimus in codicibus ‚ordinem vulgarem',

qui dicitur, secutis:

M N G X T D E F O P S *αφ* [1])

Talis enim hic exstat ordo:

11—29 **36—41** 8—10 4—5 **30—35** 1—3 6. 7.

Tamen eos cum R A W Z — U B H Q V codicum ordine cohaerere, inde intellegitur, quod orr. 36—41 30—35 continuas exhibent. Cur autem or. 11 primo loco posita sit, probabiliter explicari potest. Scil. is, qui hunc ordinem constituit, eam orationem primam legi volebat, qua agebatur ‚*τίς ὁ θεὸς κατὰ Πλάτωνα;*' [2]). Quam ante orationem codd. M N O P S habent titulum *Μαξίμου Τυρίου σοφιστοῦ καὶ φιλοσόφου* (*καὶ φιλοσ.* om. *M*!) *λόγος* (om. *P*) *περὶ* . . ., cum *α* copiosiorem illum titulum addito articulo *τῇ* exhibeat [3]).

Denique: totam tabulam I si contemplati erimus, videbimus Maximi codicum, qui ad nos pervenerunt, nullum recta via

---

[1]) de codd. O P S *αφ* infra pauca dicam.

[2]) cf. etiam Mutschm. p. 571.

[3]) iam hac e re et ex orationum ordine apparet, quibus codicibus *α* addendus sit.

redire ad ordinem vetustum, cuius vestigia tamen omnes vel ea in re praebent, quia (cf. tab. I) omnes orr. 36—41 et 30—35 continuas exhibent. Deinde iam a principio in tres partes secernendi videntur codices, quarum primam efficiunt libri R A W Z (Y), secundam U—B H Q V, tertiam, qui ‚ordinem vulgarem‘ secuti sunt, codices. Libri U B H Q V τῇ ante Ῥώμῃ scribentes dividentesque orr. 30—35 certa ratione inter se coniuncti videntur. Neque dubitari postest, quin etiam libri M N G X T D E F O P S α, qui oratione 11 in initio posita ordinem valde solutum praebent, inter se cohaereant.

§ 5.

Orationum ordine tractato transeundum nobis est ad tertium quaestionis argumentum i. e. ad dissertationum numerationem perquirendam:

In codice R [1])

inde ab or. prima usque ad or. 41 [2]) dissertationibus 30—35 exceptis exstant numeri literis uncialibus scripti atque omnes a prima manu (teste Omont): *Α′—ΜΑ′* (= 41!). Quam praeter numerationem altera (item ab eadem manu scripta) invenitur, quae ab or. 30 incipiens orationes his numeris instruxit (cf. R codicis indicem pp. 9. 10).

α′—δ′	ε′—κϑ′	λ′—λε′	= 35 orr.!
30—35	1—29	36—41	

Quae numerorum differentia inde, ut iam Hob. recte explicat (p. XXI sq.), efficitur, quod qui alteram (i. e. α′—λε′) perfecit numerationem eas dissertationes, quae unam rem tractantes eodem modo inscriptae erant (velut περὶ ἡδονῆς α′β′γ′), propriis numeris non affecit. Sed iterum quaestio oritur, utra numeratio sit vetustior. Iam supra diximus (p. 13) fortasse [3]) vel idcirco *Α′—ΜΑ′* (= 41!) numerationem putandam esse vetustiorem, quia literis uncialibus sit scripta. Deinde res ipsa postulare videtur, ut ea numeratio, quae cum ordine ipsius codicis convenit, recentior sit quam ea, quae ad eum non quadrat. Certe intellegi non potest, cur librarius aliquis ad septimam suam orationem Α′ literam ad-

[1]) cf. semper tab. II.

[2]) iterum numeri arabici semper Hobeinii orationum numeros significant.

[3]) etiamsi hanc unam rem argumentum non esse sane scimus.

pingere voluerit, nisi in alio exemplari eam invenit. Non autem eum ipsum novum ordinem inducere voluisse inde apparet, quod numeri Λ'—ΛΕ' huius numerationis omnino desunt. Quodsi consideramus hos sex numeros deesse, sex autem etiam exstare orationes numeris carentes, non possumus dubitare, quin res cum Hobeinio ita explicanda sit, ut statuamus librarium codicis R iam in fonte suo invenisse illam numerationem remque sic explicandam esse: exstabant in R libri archetypo vel alio exemplari R codici antecedente hic orationum ordo et haec numeratio: 1—29 = Α'—ΚΘ' 30—35 (= Λ'—ΛΕ'), 36—41 = ΛS'—ΜΑ'[1]). Haud scio an iam hoc in codice etiam orr. 30—35, quia pro se olim certe efficiebant corpus[2]) (fortasse propriis numeris vel α'—ϛ' vel orationibus 30—32 sub un. num. subsumptis α'—δ' instructum)[3]), numeris Λ'—ΛΕ' caruerint, quibus numeris omissis scil. indicaretur orr. 30—35 pro se unum efficere corpus. Quoquo modo res se habet, non est, cur dubitemus, quin orr. 30—35 suo loco olim exstiterint. Hoc ordine cur usus sit librarius nescio quis (fortasse, ut or. 33, quae ‚τί τέλος φιλοσοφίας;' inscribitur, ab or. 29 eodem titulo instructo quam proxime abesset), vix quisquam pro certo diiudicare poterit. Quem ordinem vel ipsius R codicis vel antecedentis exemplaris librarius titulo ‚. . . τῆς πρώτης ἐπιδημίας' fortasse commotus[4]) ita mutavit, ut retinens veteris ordinis numeros Α—ΜΑ' orr. 30—35 in initio poneret. Quam ob rem nullus dubito, quin Hobeinius in editione sua vero usus sit ordine, quamquam illum in editione sua ordinem adhuc usitatum commutavisse non probo.

In titulis autem orationibus adhibendis Hob. certe erravit. Quibus enim titulis Maximi orationum corpus olim instructum fuerit, quibus locis sint ponendi, si quaerere volumus,

---

[1]) nulla enim re demonstratur R librum primum fuisse corpus tres illos Platonicos olim continens. cf. contra Mutschm. p. 568.

[2]) qua in re plane cum Mutschm. consentio (cf. p. 566sqq.). Ceterum mihi orationibus 30—35 cum ceteris comparatis, quod ad linguae usum attinet, Maximus in sex illarum dissertationum corpore fervidiore usus videtur oratione.

[3]) genetivus enim ‚. . . τῶν ἐν Ῥώμῃ διαλέξεων τῆς πρώτης ἐπιδημίας . . .' certe postulat, e quo pendeat. Qua de causa non dubito, quin etiam orr. 30—35 numeris olim fuerint instructae, non uno, ut Mutschm. p. 568 vult, nam ‚. . . τῆς πρώτης ἐπιδημίας' Α'' sine dubio ‚. . . τῆς πρώτης ἐπιδημίας Β'' etc. postulat. De hac re etiam infra nonnulla addenda erunt.

[4]) de hac re infra accuratius videbimus.

e verbis proficisci debemus, quae codex R post or. 30 veteris i. e. post 6 ipsius Regii et recentioris ordinis exhibet. Sunt autem haec[1]):

fol. 1 v — *Μαξίμου Τυρίου Πλατ. . . .*[2])

	ordo vetus	R et ordo rec.
fol. 1 v	orr. 30	(= 1)
fol. 18 r i. mge	35	(= 6)

Μαξίμου Φιλοσοφούμενα — *Μαξίμου Τυρίου Πλατ. . . . τῶν ἐν Ῥώμηι διαλέξεων τῆς πρώτης ἐπιδημίας.*

Ā

ε′ — *Ὅτι πρὸς πᾶσαν ὑπόθεσιν ἁρμόσεται ὁ τοῦ φιλοσόφου λόγος.*

Apparet igitur *A′* numerum exstare ante ipsam orationem 1 (i. e. 7 ipsius Regii et ordinis recentis), ita ut omnino non dubitari possit, quin numerus *A′* huic orationi attribuendus sit, $\bar{B}$ numerus orationi 2 (i. e. 8 ips. Reg. et ord. rec.) etc. Nam etiam ceteri numeri ante eam orationem positi inveniuntur, cui eos addere debemus velut (teste Omont):

fol. 138 v
i. mge — M̄
λδ′ — *Εἰ ἔστιν ἀγαθὸν ἀγαθοῦ μεῖζον.*
ἐν ὧι ὅτι ἐστῖν: (literis uncialibus).

Erravit igitur Mutschmannius, cum Hobeinii apparatu deceptus haec scripsit (p. 568): „Der Buchstabe *A′* steht im Regius hinter dem Wort *ἐπιδημίας*. Er müßte aber doch unmittelbar vor der 7. Rede (ante primam igitur orationem Hobeinii) stehen. Es bleibt also kein weiterer Ausweg, als daß die Zahlen immer auf die vorhergehende Rede zu beziehen sind, wobei die ersten 6 als e i n e zusammengefaßt waren. . . .“ Omnino autem absurdum mihi videtur sex orationes quattuor diversis titulis instructas sub

---

1) teste Omont.

2) quae verba et sequentia literis uncialibus sunt scripta.

unum numerum subsumere: deinde alterum exstat argumentum, quo illius viri docti sententia refellitur: nam si putamus in fine orr. 30—35 (i. e. 1—6 Regii et ordinis rec.) numerum *A'* fuisse, in fine or. 1 (= 7 Reg. et ord. rec.) numerum *B'* . . . . in orationis 40 igitur fine numerum *MA'*, orationi 41 omnino non iam numerus exstat[1]). Non igitur est, cur *A'*—*MA'* veterem ordinem fuisse non putemus.

Sed ut in titulis quaerendis pergamus: in libro R iuxta illum titulum pleniorem ante or. 1 (7 Regii et ord. rec.) in margine quidem[2]) exstantem inveniuntur verba *Μαξίμου φιλοσοφούμενα*. Unde in marginem pervenerint, haud scio an ex eo colligi possit, quia corpore 30—35 dissertationum in initio posito duo — hic scil. et copiosior ille — tituli inter se collidebantur. Certissimum autem est ‚*Μαξίμου φιλοσοφούμενα*' titulum olim ante or. 1 (7 Regii et ord. rec.) exstitisse, quo indicaretur post orr. 30—35 i. e. ‚*τῆς πρώτης ἐπιδημίας*' orationes novum incipere orationum corpus[3]). Deinde cogitantibus nobis veri simillimum esse pro se utrumque corpus (30—35 et 1—29 36—41) olim exstitisse, considerantibus etiam omnium fere codicum (post or. 41) ‚*Μαξίμου Τυρίου φιλοσοφούμενα*' subscriptionem, vix dubium est, quin etiam ante or. 1 (7 Regii) ‚*Μαξίμου Τυρίου φιλοσοφούμενα*' sit legendum. Neque enim *Τυρίου* voce omissa temporibus, cum orr. 1—29 36—41 pro se exstabant, auctor intellegi potuit. Genuinus igitur titulus duobus corporibus (sc. 1: *τῆς πρώτης ἐπιδημίας* orr. 30—35; 2: orr. 1—29 36—41) coniunctis initio exstans verbis ‚*Μαξ. Τυρίου φιλοσοφούμενα*' efficitur (ut in A libro post pinacem cf. p. 7), quibus verba post or. 41 posita optime respondent. Orationes 30—35 autem titulo illo copiosiore inclusae a ceteris accurate secernuntur. Dissertationum 1—29 et 36—41 continuatio ne illarum orationum corpore interrumperetur et ut corpus titulo illo pleniore ‚. . . *τῆς πρώτης ἐπιδημίας*' instructum in initio poneretur,

[1]) animadverte alterum *A'* numerum, quem ante or. 30 veteris ordinis i. e. ante 1 ord. rec. et Regii inveniri Hob. p. 350 in apparatu critico adnotat, omnino non exstare.

[2]) cf. Hob. p. 1 i. ‚app. crit'. s. 5 et huius opusculi p. 18; contra Mutschm. p. 566 fin.

[3]) ita ut optime appareat titulum copiosiorem ita accipiendum esse, ut subscriptio ad orr. 30—35 (1—6 Regii) pertinens sit. cf. etiam Mutschm. p. 566 sq.

commotus librarius nescio quis (ipsius libri R?) ordinem mutavisse mihi videtur.

Qua de causa iterum apparet Hobeinii orationum ordinem quidem rectum, titulos autem falso esse positos [1]).

Orationum utroque ordine et titulo tractatis in ceterorum codicum numeratione perquirenda pergere liceat:

Praeter codicem R

liber A

solus utramque illam numerationem indicat: in A enim libro orr. 6—15 numeris *ἕκτον—ιε'*, orr. 20 et 21 numeris K—KA' insructae sunt, qui numeri postea praeter numeros orationibus 9, 10, 12 adscriptos lineolis sunt deleti [2]).

Codex W (s. XIV[i])

secundum ordinem recentiorem ab or. 30 incipientem suo quamque orationem numero affecit ita ut dissertationes hos continuos ferant numeros: *α'—μα'*. Quamquam igitur W in ordine recenti praebendo cum RA(Z) facit, numeratione usus est a RA libris omnino diversa ita ut hac quidem in re W liber primo obtutu cum codicibus RA commune nihil habere et ex archetypo ab R et A satis diverso profectus videatur.

Attamen rem aliter se habere facile nobis persuadebimus, si indicem codicis W cum indice codicis R comparaverimus. In R enim index sic incipit [3]):

α'— περὶ ἡδονῆς· ὅτι εἰ καὶ ἀγαθόν, ἀλλ' οὐ βέβαιον. α'β'γ'
β'— τί τέλος φιλοσοφίας:
etc.

In codice W autem scriptum est [4]):

α'β'γ' περὶ ἡδονῆς· ὅτι εἰ καὶ ἀγαθόν, ἀλλ' οὐ βέβαιον.
δ' τί τέλος φιλοσοφίας:
etc.

Scilicet is, qui codicem W descripsit, in indice titulos primum

---

[1]) haud scimus an eisdem quibus nos causis adductus Crönertus (l. l. p. 644) dicat: ‚. . . Der größte Titel gehört nur zu einem Teil der Reden', quas tamen non nominat. cf. etiam Mutschm. p. 566sq.

[2]) cf. tab. II.

[3]) cf. Hob. p. LXXVI.

[4]) quod ipsi e speciminibus intelleximus.

sine numeris transtulit, deinde idem[1]) rubro atramento numeros adpicturus, cum ad primam (semper secundum R libri indicem) orationem et *α'* et *α'β'γ'* adscriptum videret, similiterque postea ad 13 et 21 orationes *α'β'* et *α'β'γ'δ'* additum legeret, hanc ampliorem numerationem praetulit atque non modo in indice, sed etiam in opere ipso adhibuit. Quod ut faceret, fortasse ea quoque re commotus est, quod numerum ΜΑ' exstare in ipso R uncialibus literis scriptum videbat.

Quod si accipimus, novum habemus cognationis inter R et W libros statuendae argumentum.

Z

codicem eandem quam W numerandi rationem secutum esse facile e numeris, quibus orationes a se traditas signavit (etsi haud raro numeros omisit), concludi potest[2]). Qua de causa Z, liber saec. XV^{i}, vel e W codice vel e libro aliquo cum W cognato vel etiam ex eodem e quo W fonte numerationem haurire potuit. Plura e specie externa huius codicis concludere non possumus. Eum ex U codice vel eius cognatis profectum non esse infra videbimus.

Codex U,

ut iam antea vidimus[3]), ea in re a libro R discedit, quod solas orationes de voluptate habitas (30—32) primo loco ponit ad easque titulum *Μ. Τ. Πλ. φιλοσ. τ. ἐν τῇ Ῥ. διαλ. τ. πρώτης ἐπιδ.* refert, tum subiungit *Μ. Τ. Πλατ. φιλοσοφούμενα. λόγοι λη'.* Redit igitur ad numerationem 41 orationum, quod facile poterat, cum in fine legebat numerum ΜΑ'. Singulis orationibus autem prima manus numeros non addidit nisi quod ad or. 15 adscripsit *ιθ'*[4]). Scilicet ab or. 33, quae est prima *τῶν φιλοσοφουμένων*, numerare coepit. Aliam numerandi rationem U^{2} secutus est, cum ad or. 2 *η'*, ad or. 4 *δ'* adscripsit[4]). Atque hoc quidem secundum *Δ'*, quod in R invenitur, scripsisse, illud *η'*, quia cum codicum W Z numeratione congruit, ex alio codice transtulisse videtur. Id quidem iam intellegimus libros W Z (saec. XIV^{i} et XV^{i}), qui uterque suo quamque orationem numero affecit, non fluxisse e codice U.

---

[1]) eadem enim est manus.

[2]) cf. tab. II.

[3]) cf. pp. 10, 24.

[4]) teste Pasquali, qui Romae versatus codicem U inspexit.

Restat ut de codicibus

B H

et ceteris

,vulgatae' codicibus

loquamur. Quos codices orationum ordinem praebere satis commutatum iam vidimus. Item in numeris orationibus adhibendis res se habet. Ex Hobeinii tabula (pp. XXIV sq. sub VI) intellegimus illius ,vulgatae' codices M N tantum numerandi vestigia exhibere (cf. tab. II):

N

dissertationes 31—35 et diss. 1 solas numeris β'—ς' et ζ' affecit, cum alii numeri non exstent ita ut hic liber cum W Z [1]) vel codicibus horum similibus necessitudine quadam coniunctus videatur.

M

codex fert numerationem ordini vulgari plane accommodatam. Hac enim ratione dissertationibus numeros adscripsit: orationem 36, quae in ordine vulgari (cf. tab. I) 20 est, numero κ' affecit, cum or. 37 loco 21 exstans in ordine vulgari numerum κα' ferat, or. 28 secundum ordinem vulgarem 18 numerum ιη'.

In ceteris ,vulgatae' codicibus Hob. numerandi vestigia invenisse non videtur vel certe non commemorat. Sed iam e libris M N apparet omnes, qui ad nos pervenerunt, ,vulgatae' libros fluxisse e codicibus numeris non iam satis instructis. Quod eo magis miramur, quia eiusdem fere aetatis in libris sc. in A W (saec. XIV^{i}) et Z (s. XV^{i}) certa numerandi ratio invenitur. Quibus de causis haud scio an e numeratione recte concludamus ,vulgatae' codices una cum B H Q V [2]) artiore cognationis vinculo cum libro U vel eius cognatis nunc deperditis coniunctos esse, praesertim cum U ipse, saec. XIII^{i} codex, numerationem ferat paene nullam.

Ut eorum, quae adhuc protulimus, summam faciamus:

Primum vidimus A librum fluxisse ex ipso R nullo alio libro intercedente.

---

[1]) eum e Z fluxisse credere prohibemur iam idcirco, quia Z non omnes tradidit orationes.

[2]) etiam Q V, quos ex ipso U fluxisse infra demonstrabimus, nullum praebent numerum.

Praeterea aut R olim vero ordine praeter Ps.-Alcinoum et Maximum etiam Albinum continuit aut R fluxit e fonte plane sui simili. Quamquam nobis quidem certissimum videtur exstitisse in ipso R tres illos Platonicos atque eos secundum indicis ordinem, tamen huius sententiae argumentum omnino certum nos nondum attulisse sane scimus.

Ipse R Albinum si continuit et exstabat in eo Ps.-Alcinous ante Maximum positus, certe demonstratum est, ni fallor, et W et U (indice scil. inspecto) codices ad ipsum R redire[1]).

De codicum ordine et numeratione cogitantibus nobis dicendum est his in rebus codices statim secernendos esse in tres ordines R A W Z — U BH QV — MN GX TD EF OPS α. Codicum R A W Z altera ex parte iterum R A coniungendi sunt praebentes 35 orationum numerationem et ordinis veteris vestigia, altera ex parte W Z tradentes 41 orationum numerationem.

Codices U B H Q V et τῇ voce titulo illi addita et, quia orr. 30—35 distraxerunt, certa ratione inter se cohaerere videntur atque ita ut B H Q V redeant ad ipsum U.

Denique etiam ceteri ‚vulgatae' libri (B H Q V igitur exceptis) ordine illo plane soluto inter se coniuncti (cf. tab. I) in prava numeratione librum U sequi videntur.

§§ 6—11.

Quoniam adhuc de codicum specie externa egimus, nunc eo transeamus, ut lectiones codicum R A W Z U B H Q V M N G X T D E F[2]) accuratius examinemus. Cum vero Hob. in or. 34 sola omnes fere, quos habemus, codices in usum vocaverit, ita progrediar, ut orationis 34 lectiones primum semper afferam, deinde certos locos orationum VI—XV (ubi codices RAWZU BHMN nobis praesto sunt), denique orr. 30—35, 35, 1 (codd. R WU BH QV MN).

§ 6.

Sed quo clarior et magis perspicua inde a principio tota quaestio fiat, statim eos afferre liceat locos, quibus certissime

---

[1]) Alteram autem sententiam, qua R liber e fonte ipsius plane simili profectus sit, si accipimus, dicere debemus codices W et U etiam ex R libri fratre vel alio cognato quodam fluere potuisse.

[2]) qui supersunt, O P S C I K α libros infra paucis verbis tractabimus.

demonstratur codices deteriores i. e. BH QV MN GX TD EF alium alio circuitu redire ad librum U, cuius cum ‚vulgatae' libris cognationem iam secundum numerationem suspicati sumus (cf. p. 23)[1]:

p. 390, 12sqq.: ‚*Δεινόν γε*[2], *εἰ οἱ μὲν θεοὶ διέκριναν τοῖς ἀνθρώποις τἀγαθὰ ἐκ τῆς τῶν κακῶν ὁμιλίας . . . οἱ δὲ ἄνθρωποι αὐτοὶ ἑκόντες εὐδαίμονα διώκοντες βίον καταμίγνυσιν* (ita R A W Z, *καταμιγνύουσιν* U[3]) et deteriores) *αὐτῷ* (nunc in omnibus libris[4]) certa verba desunt lacuna indicata in codd. UBHQV[5]) *ζῆν δι' ἡμέρας ἐν φωτὶ λαμπρῷ καὶ διηνεκεῖ, ἀύπνῳ καὶ ἀδεεῖ τῆς ἐν νυκτὶ ἀναπαύλης, ἄχθοιντο* (ita RNY [*ν* supr. m. alt.] *ἄχθοιτο* AWZU cett.) *τῷ ἡλίῳ μηδέποτε ἐξισταμένῳ μηδὲ εἰς τὸ παλίσκιον παραχωροῦντι.*'

Dicere vult M.: ‚Dei in gratiam hominum bona a malis diiunxerunt, ut alterum cum altero confundi non posset velut dies cum nocte aut lux cum tenebris aut ignis cum aqua; homines tamen beatam vitam secuti ultro mala admiscebant . . .' Qua de causa certissimum est *καταμιγνῦσιν* hic esse legendum ita ut sit tertia pluralis persona. cf. quae praebet Kuehner Gerth illo loco, quem etiam Hob. recte affert (I. 2, 192): „. . . Homer kennt nur *ῥηγνῦσιν* (Il. P751), was bei Herodot wiederkehrt. . . . Die Richtigkeit des Akzents hat wenig Gewähr (cf. § 287. 1. 5. 8). Eurip. *ζευγνῦσ'* 1323 El (Anap.). Als Variante steht *δείκνυσι* neben *δεικνύουσι* Xenoph. Anab. 6. 2. 2; u. 7. 1. 17 *ἀναπετάννυσι* neben *ἀναπεταννύουσι* . . . .' Deinde liceat proferre, quae Wackernagelius, quid sentiret a me interrogatus, ut est vir summae animi benignitatis, mihi respondit: ‚Daß M. T. eine III. plur. auf *-υσι* gebraucht habe, ist nicht undenkbar, denn *-νῦσι* war ionisch und konnte

---

[1]) consentaneum est me in cognatione codicum perquirenda non omnes, sed graviores tantum locos proferre posse.

[2]) ‚*Δεινόν γε — παραχωροῦντι*' (p. 391. 10) sunt verba adversarii, quem M. interpellat, cum dicit (p. 391. 10): *ἔχε δὴ αὐτόθι.*

[3]) ita enim U libri ligatura, non pro *-ύασιν*, intellegenda est (cf. contra Hob. in app. crit. ad hunc locum). Ceterum eadem ligatura fere semper in U libro (velut fol. 90v 13 = p. 395. 13) invenitur.

[4]) nisi quod in *αφ*, de quibus infra dicemus, exstant verba: ⟨*δυστυχίας· κἂν τις θεῶν αὐτοῖς συγχωρῆσαι*⟩ *κ. τ. λ.*

[5]) etiam U hanc lacunam indicat et U² margini adscripsit: *ἐν ἄλλῳ* (sc. *βιβλίῳ*) *οὐ λείπει.* cf. contra Hob. i. app. cr. ad h. l.

gerade so gut in die Gemeinsprache dringen wie das von Lobeck Phryn. 244 bezeugte *διδοῦσι* für *διδόασιν*.‘ Ea ipsa autem e re, quod *-νῦσιν* tertia pluralis persona hic recte legitur, pro certo concludi potest etiam infra numeri pluralis formam *ἄχθοιντο* recipiendam esse. *Ἄχθοιτο* autem forma sine dubio inde orta est, quod, qui eam scripsit, putabat *καταμίγνυσιν* tertiae personae numeri singularis esse formam. Quibus de causis legendum esse puto: ‚. . . *καταμιγνῦσιν αὐτῷ* . . . *ἄχθοιντο*.‘ Archetypi igitur communis imaginem optime servavit solus R (*-ίγνυσιν* i. e. *-ιγνῦσιν* et *ἄχθοιντο* tradens), cum libri U B H Q V etc. *-ύουσιν* praebentes stent contra R A W Z, qui certe omnes *καταμίγνυσιν* habent.

Ut de lacuna, quam indicant U B H Q V, supplenda statim dicamus, primum quidem apparet verba quaedam addenda esse, deinde accuratius de verborum conexu cogitantem non effugiet compluribus verbis non uno solo vel duobus opus esse ad sensum apte restituendum, non igitur decem fere literarum lacunam, qualem U B H Q V indicant, sufficere. Quam ob rem apparet illam lacunam deberi vel ipsius U codicis vel antecedentis exemplaris librario, viro sc. docto, qui sensum interruptum esse intellegens spatio illo relicto nihil nisi lacunam indicare volebat, nulla verba addens, quia, quae suppleret, nesciebat. Ex ea ipsa autem re, quod B H Q V cum U hanc lacunam indicant, horum codicum cognatio, quam iam supra suspicati sumus, optime confirmatur. De vocibus supplendis si quaerimus, totius loci sensus respiciendus nobis est. Quae M. verbis illis ‚*Δεινόν γε — παραχωροῦντι*‘ dicere voluerit, iam supra diximus. Apparet illo in enuntiato inter se respondere voces ‚*οἱ μὲν θεοὶ*‘ p. 390, 12 et ‚*οἱ δὲ ἄνθρωποι*‘ p. 391, 5. Deinde ita agit M., ut, quae inde a verbis ineuntibus ‚*Δεινόν γε, εἰ* . . .‘ usque ad verba ‚. . . *τὰς φύσεις*‘ dixit, certis exemplis accuratius exponat. Quam illius enuntiati constructionem respicientes et contemplati verba enuntiati sequentis ‚*οἱ δὲ ἄνθρωποι* . . .‘ maximeque ‚*ζῆν δι' ἡμέρας ἐν φωτὶ* . . ., *ἄχθοιντο* . . .‘ quaerere debemus, nonne etiam hoc loco post enuntiatum primarium exstiterit exemplum, quo Maximus sententiam illustraret. Qua de causa optime nobis placet, quam Pohlenzius nobiscum Maximi orationes interpretatus protulit, coniectura:

„. . . *αὐτῷ* ⟨*κακά*[1]), *καθάπερ εἰ ἐξὸν*[2])⟩ *ζῆν δι' ἡμέρας* . . ., *ἄχθοιντο κ. τ. λ.*' Quae coniectura quam optime favet sensui atque totius loci constructioni. Contra si cum Hobeinio (*φα*) suppleremus ⟨*κακά* (*δυστυχίας*)· *κἂν τις θεῶν συγχωρήσῃ αὐτοῖς* (*αὐτοῖς συγχωρῆσαι*)⟩ *ζῆν* . . ., quomodo ille optativus *ἄχθοιντο* explicari possit, omnino non intellegitur.

p. 392, 2. 3: „. . . ***εἰ ταῦτα ὑπάρχοι καὶ σταίη μὲν ὁ ἥλιος, ἀνέχοιντο δὲ οἱ ὀφθαλμοὶ πρὸς αὐτὸν διηνεκῶς δεδορκότες.***' Sic exhibent locum R A W, Z *διηνεκῶς* post *δεδορκότες*, U B H . . . cett.[3]) post *ὀφθαλμοὶ* praebent. Tantopere in voce ‚*διηνεκῶς*' positus est accentus atque tam arte coniungendum est hoc adverbium cum verbo *δέρκομαι*, ut ab eo separari non possit. Quod quamquam etiam in libro Z non fit, tamen dubitari nequit, quin vox *διηνεκῶς* recte a n t e *δεδ.* ponatur.

p. 392, 9. 10: „. . . ***οὐκ εὐχῆς ἔργον ἡ πρὸς τὸ φῶς φιλία, ἀλλὰ ἀνάγκης ἡ πρὸς νύκτα*** (ita R A W Z, *τὴν νύκτα* Uς) ***συνουσία.***'

In articulo vocibus adhibendo M. valde suo arbitrio agit. In substantivis abstractis et in substantivorum concretorum numero singulari fere deest. Quod ad hunc locum attinet, animadvertendum mihi videtur M. omnibus fere locis voce ‚*νύξ*' sine articulo esse usum velut pp. 5, 9; 64, 11; 397. 6. 7; 391, 1. 8; 392, 4; 419, 13; 466, 14 aliis. Unum tantum locum inveni, ubi *τῆς νυκτὸς* pro *νύκτωρ* M. scripsit: p. 175, 2. Quod ad loci, de quo agimus, vocem *φῶς* attinet, codd. consentiunt tradentes articulum. Neque dubito quin recte legatur *τὸ φῶς*, praesertim cum haec vox fere semper coniuncta cum articulo inveniatur velut: pp. 5, 9; 189, 11; 391, 15—392, 1. cf. etiam Duerrium (Philol. 8. Suppl. Bd. 1899—1901) p. 26 sqq. Quibus de causis M. certe scripsit: ‚***οὐκ*** . . ., ***ἀλλὰ ἀνάγκης ἡ πρὸς νύκτα συνουσία***'.

p. 393, 14 sqq.: „. . . ***οἶδε μὴν τίς μὲν τῆς ὁδοῦ ἡ λεία καὶ ἄπταιστος, τίς δὲ ἡ διεσκαμμένη καὶ ἀναγκαία μὲν διελθεῖν, ἀπροαίρετος*** (ita R A W Z *ἀπροόρατος* Uς) ***δὲ τῷ θέοντι.***'

ἀπροαίρετος = *ἄνευ προαιρέσεως*, sumptum ex Aristotelis sermone Ethic. Nic. 1135 b 10: *προελόμενοι μὲν ὅσα προβουλευσάμενοι*

---

[1]) recte pro *δυστυχίας*, ut mihi videtur, nam cf. p. 390, 13: *ἀγαθὰ . . . κακά.*

[2]) qua voce persaepe utitur M. velut: 160, 5; 193, 10; 341, 16; 360, 7; 404, 19; 473, 3.

[3]) totam ‚vulgatam' ς iam nominare liceat.

ἀπροαίρετα δὲ ὅσα ἀπροβούλευτα, ubi quidem *ἀπροαίρετα* vertunt: ‚quae aguntur non capto consilio‘; adv. *-έτως* = involuntarie, non de industria. Arist. Eth. Nic. 1106 a 3; Diog. L. 2. 87. Huic voci recte opponitur *ἀνάγκη* = ‚necessitudo‘; adv. *ἀνάγκῃ, ὑπ᾿ ἀνάγκης* et *πρὸς ἀνάγκης, ἐξ ἀνάγκης*: ‚necessario, coactus, invitus‘. Soph. Phil. 538; Thuc. I. 37. 3; 137. 4; Eust. Od. p. 1404,15: = *βίᾳ καὶ ἀκοντί*. Erat. quoque ap. Hipp.: *ἀνάγκην* significare *βίαν*. *᾿Αναγκαῖον* quid sit: Arist. Metaph. II, 1015, a 20. Aptissimum igitur Maximi loco est *ἀπροαίρετος*. Contra cum e verbis ‚*οἶδε μὴν τίς μὲν τῆς ὁδοῦ ἡ λεία καὶ ἄπταιστος, τίς δὲ ἡ διεσκαμμένη* . . .‘ optime appareat n o v i s s e illum cursorem, quae via sit plana et quae foveam celet, *ἀπροόρατος*, quod Uς praebent, ferri nequit.

p. 397. 9 sqq.: . . . *Οὕτω λέγεται καὶ ᾿Αρταξέρξης, ὁ Περσῶν βασιλεύς, τέως μὲν ὑπ᾿ εἰρήνης* (ita R [*ὑπερρηνὴς* pr. m.] A W Z *ἡδονῆς* Uς) *μακρᾶς καὶ ἡδονῆς* (ita R A W Z *εἰρήνης* Uς) *διηνεκοῦς μὴ συνιέναι τῆς εὐτυχίας*·

Facile cognosces Artaxerxi pace opus fuisse, ut feliciter atque sincere viveret, neque *ἡδονὴν* effecisse, ut esset *εἰρήνη*, sed *εἰρήνην*, ut *ἡδονή*. cf. etiam v. 14: *ἀλλ᾿ ἐ π ε ὶ π ό λ ε μ ο ς αὐτῷ* . . . *ἦλθεν* ... Quae verba demonstrare mihi videntur praecessisse verba ‚*τέως μὲν ὑπ᾿ ε ἰ ρ ή ν η ς* . . .‘. Multoque aptius *μακρᾶς* cum *εἰρήνης* quam cum *ἡδονῆς* coniungitur. Qua de causa codd. R A W Z recte verba tradiderunt. Denuo autem apparet ς libros sequi codicem U.

p. 397, 12 sq.: . . . · *ᾧ* (sc. *᾿Αρταξέρξῃ*) *παρεσκεύαζε μ ὲ ν* (ita R A W Z om. *μὲν* Uς) *ἡ ᾿Ασία τὸ δεῖπνον, ἔπεμπον δ ὲ* . . . , *ἐμηχανῶντο δ ὲ* . . . · Conferas p. 384, 12 sqq.: *τρέφει μ ὲ ν αὐτῷ Μηδία Νισαῖον ἵππον, πέμπει δ ὲ ᾿Ιωνία* . . ., *τρέφει δ ὲ Βαβυλὼν* . . . .

p. 397, 17 sqq.: . . . *ἐδίψησεν ὁ δύστηνος πρῶτον τότε, ἔνθα ἦν οὐ Χοάσπης, οὐ Τίγρις, οὐ Νεῖλος, οὐκ ἐκπώματα, οὐκ οἰνοχόοι· καὶ ἠγάπησεν παρὰ ἀνδρός Μάρδου λαβὼν ἐν ἀσκῷ ὀ δ ω δ ὸ ς ὕδωρ* (ita R A W Z *ὕδ. ὀδωδός* Uς).

Apparet Maximum vocem *ὀδωδὸς*, ut suo sono efferretur, consulto posuisse a n t e vocem *ὕδωρ*.

p. 398, 7 sqq.: . . . *᾿Εξῆν γάρ του καὶ* (ita R A W Z [T] *γὰρ καὶ* Uς) *τῷ ᾿Αχιλλεῖ ζῆν καὶ βασιλεύειν* . . . . (v. 16:) *ἀλλ᾿ οὐχ εἵλετο* (sc. *᾿Οδυσσεὺς*) . . . .

Apparet U libri vel exemplaris antecedentis librarium literas

του, quia, quid sibi vellent, nesciebat, omisisse. *γάρ που καὶ* coniecit Hob.; magis mihi placet Marklandi coniectura: *γάρ τοι καὶ*: „Denn es war doch erlaubt . . .“

p. 398, 11 sqq.: *καὶ τῷ Ὀδυσσεῖ* (sc. *ἐξῆν*), *οἴκοι μένειν περὶ τὸ Νήριτον τὸ εὔφυλλον*, (cf. ι 27) ‚*ἐν τῇ γῇ τῇ κουροτρόφῳ*‘ *ἢ . . . ἐν ἄντρῳ καταρρύτῳ καὶ κατασκίῳ* (ita R A W Z pars ceterorum *κατασκίῳ*^β *καὶ καταρρύτῳ*^α (supr. β et α litt.) U[1]) *κατασκίῳ καὶ καταρρύτῳ* altera pars ‚sequiorum‘ cf. Hob.).

Iterum ‚vulgatae‘ libros cum U codice coniungendos esse vides: illorum enim codicum alii β et α literas suprascriptas intellegentes rectum verborum ordinem restituerunt, alii β et α litt. neglectis falsum servaverunt.

Quos ad or. 34 locos addo hos:

p. 109, 11—14: *Ἀχιλλεὺς νῆσον οἰκεῖ εὐθὺ Ἴστρου κατὰ τὴν Ποντικὴν θάλατταν, Ἀχιλλέως ναός, καὶ βωμοὶ Ἀχιλλέως· καὶ ἑκὼν μὲν οὐκ ἄν τις προσέλθοι, ὅτι μὴ θύσων· θύσας δὲ ἐπιβαίνει τῆς νεώς* (ita R A W Z [*νήσου* in mge R A] *νήσου* U ς).

Sensus loci est: Nemo insulam adibit nisi tum cum sacrificia facere volet[2]). Sacrificiis autem factis redit ad navem. Recte igitur Markl. (in Reiskii ed. I p. 282): ‚nam qui sunt in insulam Leucen delati visis antiquitatis vestigiis temploque et donariis Achilli consecratis vesperi repetunt naves . . .‘. Ita igitur res se habere videtur: exstabat in communi archetypo (plane ut nunc in R [A]!) *νεώς* in contextu et in mge *νήσου*, quam vocem librarius nescio quis *νεώς* vocem non intellegens ut coniecturam margini adscripsit. Quae coniectura a codicibus U ς recepta est[3]), codex K[4]) *νήσου* (supr. *νεώς*) mixtam memoriam praebet.

p. 111, 15 sqq.: *Ἐνύπνιον γάρ τι ἐστὶν ἀτεχνῶς οὑτοσὶ ὁ δεῦρο βίος, καθ᾽ ὃν ἡ ψυχὴ κατορωρυγμένη ἐν σώματι ὑπὸ κάρου* (ita recte Wakefield silv. crit. II 81 [Duebn.], nam cf. 112, 2)

---

[1]) cf. contra Hob. in ‚app. crit.‘ ad h. l.!

[2]) ita enim ‚*ὅτι μὴ θύσων*‘ vertendum est, non ut in Reiskii editione: I 282: ‚nisi prius re divina facta‘.

[3]) cf. p. 29 sub 371, 3.

[4]) de quo codice infra nonnulla adiungam.

καὶ πλησμονῆς μόγις (ita R A W Z, *μόλις* U ς)[1]) *πως ὀνειρώττει τὰ ὄντα.*

U ς codicum lectio falsa est, nam cf. pp. 137, 13; 404, 14; 406, 3; 455, 11 alios locos, ubi *μόγις* exstat, contra solum locum 64, 9: *μόλις*.

p. 115, 12 sqq.: *Ὅνπερ οὖν τρόπον καὶ ταῖς κυούσαις προσάγουσα ἡ μαιευτικὴ τὰς χεῖρας σὺν τῇ τέχνῃ ὑποδέχεται τὸ κυούμενον, καὶ θεραπεύει τὰς ὠδῖνας, καὶ ἐξάγει τὸ τελεσφορηθὲν εἰς φῶς, καὶ ἀπαλλάττει τῆς ὠδύνης τὴν φέρουσαν· τοῦτον τὸν τρόπον* (ita R A W Z [nisi quod Z *τούτῳ τῷ τρόπῳ*] *τὸν αὐτὸν τρόπον* U ς) *καὶ λόγος μαιεύεται ψυχὴν κύουσαν καὶ ὠδίνων μεστήν·*

U ς falso, nam cf. 103, 17; 178, 11. 12 alios locos.

p. 151, 3: . . . *ἀπουσίᾳ γὰρ ἀγαθοῦ μοχθηροσοση* (ita R A [-ὸς] W *μοχθηρία ὥστε* [mala sc. coniectura] Z *μοχθηρὸς ὅση* U ς). Hob. secundum Paccium coniecit: *Ἀπουσίᾳ γὰρ ἀγαθοῦ μοχθηρὸς ⟨ὁ μοχθηρ⟩ὸς ἦν.* Animadvertendum est codices U ς in accentibus addendis congruere.

p. 183, 10 sqq.: *οἱ κομῶντες ἐπὶ φρονήσει καὶ τέχνῃ βίου καὶ ἐπιστήμῃ λόγου, οὔπω γε νῦν παύονται στασιάζοντες πρὸς αὐτοὺς καὶ πρὸς ἄλλους, καὶ ἀμφισβητοῦντες ποίῳ σχήματι βίου φέροντες αὐτοὺς ἐγχειροῦσιν* (ita R A W Z *ἐγχειριοῦσιν* U ς recte, ni fallor).

p. 15, 4 sqq.[2]): *Εἰ τοιούτου δεῖ λόγου τοῖς φιλοσοφίας ἐφιεμένοις, τὸν ἔχοντα ἀθρητέον* (ita r. R W U³ [in mge] *ἀθροιτέον* U¹ ς) *καὶ δοκιμαστέον καὶ αἱρετέον . . .*‘.

p. 360, 11: *Καὶ ποῖον* (ita r. R W U³ [in mge] *πῶς* U ς) *ἄν τις ἐπινοήσαι ἀγαθὸν σαλεῦον καὶ κραδαινόμενον;*

p. 360, 13: *Ὥσπερ γάρ, οἶμαι, καὶ τῆς ἄλλης γῆς εἰ ἀφέλοι τὶς τῷ λόγῳ τὴν ἕδραν ἢ τὴν* (ita r. R [in ras. ex *ἢ μονὴν*] W U³ Q *καὶ τὴν* U ς [-Q]) *μονήν, συναφεῖλεν αὐτῆς καὶ τὸ εἶναι.*

p. 371, 3: *Σύ μοι δοκεῖς οὐδὲ τοῦ ἡλίου ἀγαπᾶν τὸ φῶς, ὅτι ἐστὶν κοινὸν ὀφθαλμῶν πάντων· ἀλλὰ ἔδει γὰρ τὸν ἄνθρωπον μόνον ὁρᾶν, καὶ διὰ τοῦτο οὐκ ἀγαθὸν ἀνθρώπῳ τὸ φῶς· οὐδέ γε ὁ ἀήρ, εἰσπνεόμενός τε καὶ οἰκονομῶν τὰ σώματα ταῖς αὐτοῦ ὁδοῖς· οὐ ποταμῶν νάματα, οὐ γῆς καρποί· μέχρι* (ita Markland.; *μέρη* R [i. mge *περὶ*] W U³, *περὶ* U ς [H in mge *μέρη*])[3]) *γὰρ τῶν ἀναγκαίων, ἐὰν προέλθῃς, πάντα κοινὰ . . . .*

---

[1]) *γ* et *λ* literae in literis minusculis perfacile commutantur.

[2]) qui nunc sequuntur, locis codd. R W U ς tantum mihi praesto sunt.

[3]) cf. p. 28 sub 109, 11—14!

Loci sensus est: Tu ne solis lumen quidem amare videris, quia omnibus oculis commune est. Tua enim sententia oportebat solum hominem hoc lumen aspicere. Quam ob rem id non est bonum homini: neque aer, neque fluviorum latices neque terrae fructus; si infra fines rerum ad victum necessariarum te coerces, haec omnibus animalibus communia sunt (cf. postea *σώζοντος*). Qua de causa cum Marklandio vocem *μέχρι* recte legi existimo.

p. 382, 2 sq.: *Παρανομεῖς περὶ τοὺς θεμένους·* (sc. *τὸ ὄνομα*; post verba *τοὺς θεμένους* interpungendum, cf. contra Hob. p. 382, 2 sq. et in apparatu) *οὐδὲν σοφίᾳ* (*φιλοσοφίᾳ* Uς) *καὶ ἡδονῇ κοινόν· ἄλλος μὲν ὁ φιλήδονος, ἄλλος δὲ ὁ φιλόσοφος.*

Apparet M. hoc loco consulto usum esse voce *σοφία*, qua clarius vocum compositio eluceat; *φιλοσοφία* autem vox coniectura est e *φιλόσοφος* voce orta.

p. 387, 5 sqq.: .. *Πᾶν γάρ, ὃ παρὸν εὐφραίνει, ἀφαιρεθὲν λυπεῖ .... Καὶ τίς ἀνάσχοιτο ψυχὴ ἡδονῶν τοσούτων ὄχλον ἐπιρρέοντα αὐτῇ καὶ ἐπιφερόμενον, καὶ μηδεμίαν ἀνακωχὴν μηδὲ ἀναψυχὴν παρεχόμενον; ἀλλ' οὐκ ἀθλιώτατα εἰκὸς διάγειν καὶ ἐπιθυμεῖν μεταβολῆς* (ita nos; *καταβολῆς* R W U²Q *ἀναβολῆς* U¹ς—Q) *καὶ ἀναπαύλης ἐρᾶν;*


Dicere vult M.[1]): Cuius ⟨enim⟩ praesentia iuvat, eius necessario dolores fert absentia. Quis ergo frui possit perpetua voluptate, quae nullam quietem, nullam respirationem praebeat? Quis non intellegit miserrimam esse vitam eius, qui altera ex parte vitae commutationem desiderat, altera quietem capessit? Vox *καταβολῆς*, quam R W U²Q habent, ferri nequit; nam ‚*καταβολὴ ἡδονῆς*' Graece certe non dicitur. Deinde voce *ἀναβολῆς* (U¹ς—Q) idem, quod voce *ἀναπαύλης*, efficitur ita ut, quid *καὶ* — *καὶ* sibi velit *ἀναβολῆς* lectione recepta, omnino non intellegatur. Loci sensus autem est: ille homo vitae commutationem desiderat ita ut *μεταβολῆς* recte legi nobis videatur.

p. 12, 15: *Παρελήλυθεν εἰς ὑμᾶς, ὦ νέοι, παρασκευὴ λόγων αὕτη πολύχους . . . . ἀταμίευτος καὶ* (ita r. R W *καὶ* om. Uς) *ἄμισθος καὶ ἀπροφάσιστος καὶ ἄφθονος . . .*

p. 350, 6 sqq.: *Πότερα δὲ ἵππῳ χαλεπὸν ἐσθλὸν ἔμμεναι τὴν ἵππου ἀρετήν, καὶ κυνὶ τὴν κυνός; ἢ ἵππῳ μὲν καὶ κυνὶ οὐ χαλεπὸν*

---

[1]) cf. etiam Reiske I, 59.



codicis U folii 88v angulus dexter.

τὸ οἰκεῖον ἀγαθὸν, ἀλλὰ ῥαστώνη τούτων ἑκάστῳ ἐπιλαβέσθαι τῆς αὐτοῦ (ita r. R W U [supr. ab ead. m.] *αὐτῶν* U [in ipsis M. verbis, *-οῦ* supr.] ς) *ἀρετῆς, εἰ ὁ μὲν ἵππος ὑπὸ τέχνης πωλευθείη καλῶς, ὁ δὲ κύων ἐν θήρᾳ σκυλακευθείη δεξιῶς.*

αὐτοῦ r. legitur, nam cf. ‚*ἑκάστῳ*' vocem.

p. 353, 11 sq. (corrupt. communis): . . . *καὶ πρῶτόν γε αὐτῶν* (sc. *τῶν κυβερνητῶν*) *τὸν ἁβρὸν τοῦτον καὶ ἥδιστον κυβερνήτην ἡδίστης σωσισδ' ἐκ γῆς* (ita R *ἡδίστης σώσεις δ' ἐκ γῆς* W *ἡδίστης τῆς νεὼς οὔσης* [*ἐστὶν* N] *ἐκ γῆς* certe coniectura Uς) *ἰδεῖν* . . . . Cum Reiskeio legerim *ἡδίστης μὲν νεὼς ὅσον ἐκ γῆς* . . . . Denique sequitur locus:

p. 356, 9: . . . *διελύετο δὲ καὶ* (ita R W Q *καὶ* om. Uς—Q) *ἡ βασιλεία, καὶ οἱ θάλαμοι, καὶ τὰ λουτρὰ, καὶ ἐξέπιπτεν* . . . .

Cui de his locis cogitanti non probatur codices dett. i. e. saec. XIV^i^: G, saec. XV^i^: B H V D X Y, saec. XVI^i^: M N Q E F T certissime ad U librum (s. XIII^i^) omnes redire ita ut, quae iam supra e codicum B H Q V . . . et U libri mala numeratione, et e ‚*τῇ*' articulo voci ‚*Ῥώμῃ*' addito ad cognationem conclusimus, egregie confirmentur? De hac re (i. e. de illorum librorum cognatione) adhuc dubitanti haud scio an dubitatio tollatur primum ea re, quod demonstrare possumus codd. Q V certissime profectos esse ex ipso U iam corrupto.

Exhibet enim hic liber folii 88 v duabus lineolis ultimis exeuntibus locum mutilum[1]), ubi (cf. p. 382 vv. 8—10 et in ‚app. crit.' Q V!) post voces *Ἡρακλείδης* (v. 8) et *περσικὴν* (v. 9) literae *δέη ὀμ* (v. 8) et *περσίζα* (= *περσίζεις*) (v. 9) legi possunt vocibus *θαυμάζεις* etc. (v. 8) et *βαρβαρίζεις ἀπολώλεκας* (v. 9) aqua, ut videtur, superfusa omnino deletis; literae *ὀμ* non sine magna difficultate adhuc intelleguntur; deinde post *ὀμ* scidula aliqua folio agglutinata est, qua literae sequentes teguntur, quamquam, quin *-άζῃς*[2]) *τιάραν* (huis vocis *τ* litera adhuc intellegi potest, etiam *ϊ* post *τ* literam exstitisse e punctis illis cognoscitur, quae U supra *ϊ* semper ponit) *Μηδικὴν* et vers. sequ. ⟨*περσιζεις*⟩ *βαρβαρίζεις ἀπολώλεκας* fuerint, non est, quod dubitemus. Etiam

---

[1]) cf. folii 88 v dextrum angulum, quem addidimus.

[2]) veri simile est *-εις* ut in B etiam in U exstitisse, praesertim cum puncta illa, quae supra ϊ literam scribere solet U codicis librarius, adhuc intellegi possint.

vox *περσίζεις* ita est deleta, ut praeter literas *π* et *ζ* et *ευ* (i. e. *περσίζευ* | unde *παραζευ* Q V!) in fine nullae fere legi possint. Supra scidulam folio agglutinatam post literas *ὀμ* a correctore recentiore (certe non U[2] vel U[3]), qui *ὀν* legebat, scriptum est *ὀν*]o*μάζεσθαι*. Libri Q V haec tradiderunt: (v. 8) . . . *Μηδικὴν δέη ὀνομάζεσθαι . . . καὶ τράπεζαν κτλ.*, deinde v. 9: *περσϊκὴν παραζευ . . . τὸν Παυσανίαν κτλ.*. U librum si hoc loco cum Q V codicibus comparamus, statim videmus Q V librarios (vel Q V archetypi librarium?) ante oculos habuisse vel ipsum codicem U vel exemplar ex ipso U profectum ita ut certissimum sit codices Q V (vel eorum archetypum?) fluxisse ex ispso U iam corrupto.

Quae cum ita sint, facilius iam credemus etiam alios e recentioribus codicibus, quos cum U artissimis vinculis cohaerere iam vidimus, ex eo ipso fluxisse. Atque de codicibus B H M N certe hoc firmiter pronuntiari potest, quia haud raro non tantum cum codicis U prima manu, sed etiam cum correcturis recentioribus congruit. Quod ut intellegas, ostendere liceat, quo quisque modo illorum codicum manum tertiam secutus sit:

Libri Q V

(Q potissimum) praeferunt fere semper U libri tertiae manus veras lectiones (his locis fere desunt A Z):

p. 360, 13: *ἢ τὴν* r. R. (i. ras. ex *ἢ μονὴν*) W U[3] Q *καὶ τὴν* U[1] ς—Q.

p. 365, 5: *ἔργα* f. R W U[1] B (corr. i. mge)[1]) *ὄργανα* r. U[3] Q V M N.

p. 365, 8: *ἀκμαῖς* r. R W U[3] B H Q V *ἀλκαῖς* U[1] M N.

p. 373, 4: *ἐπιτ . . ης* (eras. duabus litt., quarum in locum m. post. *ρεψ* inmisit) R *ἐπιτ . . .* (trium fere litt. spat. rel.) W, *-ιθῆς* U[1] (*-ίθης*) ς—Q V, *-τρέψης* U[3] Q V (i. mge).

379, 2: *ἀπειλῆς* f. R W U[1] B H M (de qua re infra videbimus) *-λῶν* r. U[3] Q V N.

p. 387, 10: *καταβολῆς* R W U[3] (i. mge) Q *ἀναβολῆς* U[1] ς—Q.

p. 387, 15: *καὶ βίῳ* hab. r. R W U[3] Q V N om. U[1] B M.

p. 403, 12: *ἄῤ ἡγῇ* hab. r. R W U[3] B Q V N om. U[1] M.

p. 410, 15: *ἐπορίζοντο* r. R W Z U[3] N V (deest Q) *ἐκομίζοντο* U[1] B M.

---

[1]) quibus locis H liber ad B accedat, pro certo dici nequit, quia cod. H nondum plane est collatus (cf. Hob. p. XLVIII). Sed ita H cohaeret cum B, ut quibus locis B inveniatur, etiam H fere accedere ponere possimus.

Codices B H
his potissimum locis tertiam manum libri U
secuti sunt (cf. p. 32 adn. 1):

p. 13, 10: *ὁρᾷς τὸν δῆμον* r. hab. R U^3 (i. m.) B om. U^1 H M N.

p. 360, 13: *τῷ λόγῳ* hab. r. R W U^3 (i. m.) B Q V om. U^1 H M N.

p. 365, 8: cf. supra s. Q V.

p. 371, 8: *μέρη* R (i. mge *περὶ*) W U^3 *περὶ* U^1 ς (H *μέρη* i. mge) *μέχρι* r. Markl..

p. 404, 1: *Νέστορα* r. R W Z U^3 (*γρ. τὸν νέστορα* i. mge) B *Ἕκτορα* U^1 H M N.

p. 403, 12: cf. supra s. Q V.

Denique libri M N
his locis U^3 codicis lectiones recipiunt:

p. 365, 5: cf. supra s. Q V.

p. 373, 15: *καὶ* ante *τὴν αἵρεσιν* add. U^1 B V postea del. U^3 om. r. R W ς—B V.

p. 379, 2: cf. supra s. Q V.

p. 381, 6: *καὶ δήμου χεῖρες* r. hab. R W U^3 (add. i. mge) Q V N om. U^1 B M.

p. 387, 15: cf. supra s. Q V.

p. 403, 12: cf. supra s. Q V.

p. 404, 7. 8: *ἀνθρώπειον* r. R W Z U^3 N *-πινον* U^1 B H M V.

p. 410, 15: cf. supr. s. Q V.

Videmus codd. Q V persaepe tertiam manum sequi, cum B H non ita saepe eius lectiones recipiant. Codicum M N liber M primae, N tertiae manus lectionibus fere utuntur.

Quamquam igitur equidem nullus dubito, quin codd. B H Q V M N, quippe qui omnes U libri tertiae manus vestigia praebeant (animadverte Q V certe ex eo fluxisse!), nullis vel paucis exemplaribus intercedentibus redeant ad U codicem, tamen exstant loci huic sententiae repugnantes:

p. 3, 14: *εἰς* om. U B (desunt Q V) hab. R W Z M N r.

p. 13, 17: *λέγει φιλοσοφίαν* pos. U B *φιλοσοφίαν λ.* pos. r. R W M N.

p. 14, 7. 8: *καὶ οἱ γραμματισταὶ πολλοῦ ἄξιοι* posuerunt U B posuerunt r. R W M N.

p. 373, 10: ⟨*τῶν*⟩ *σωματ.* U B *σωματ.* r. R W M N Q V.

p. 376, 9: *ὁ* ante *Διογ.* om. U B hab. r. R W M N Q V.

p. 382, 6: *καὶ τὰ* pro *ὡς τὰ* U B Q V *ὡς τὰ* r. R W M N.

p. 373, 1: *τὴν ἡδονὴν* om. U B Q V N hab. R W M.

Quos locos considerantes quaerere debemus, utrum libri M N nonnullis locis contra U veras lectiones exhibentes — si quidem recte collati sunt! — e libro U codici antecedente fluxerint an ex ipso U alio codice ad verba restituenda adhibito. Qua in re mihi quidem iam a principio sententia posterior verisimillima videtur. Nam primum tot tantique sunt loci, ubi M N cum U faciunt[1]), ut illi loci huic sententiae repugnantes plane cedant. Deinde: unde et M et N tertiae U libri manus lectiones receperunt? Porro: inter omnes constat illis temporibus codices persaepe inter se esse comparatos. Denique accedit, quod eadem est res de libris Q V[2]), quos ex ipso U fluxisse supra certissime demonstravimus.

Qualis fuerit liber (vel quales fuerint libri) cum Q V M N comparatus (vel comparati), haud scio an e p. 367, 9 cognosci possimus, ubi corruptela communi exstante

διά τε praebent R U¹ B H N

διὰ τῶν W M Q *δίαιται* U (m. p.) W² Q (i. mge) V.

Fortasse hoc e loco concludi potest librum cum W cognatum et M et Q librorum alterum fuisse fontem.

Quod ad libros M N attinet, huic opinioni favet, quod W ipse non raro cum his codicibus communes corruptelas exhibet, velut:

p. 16, 12: *παρασκευάσαιτο* pro — *σκεύατο* W M N.

p. 17, 9: *δὲ* pro *δὴ* W M N.

p. 68, 8: *τὰς* om. W M N.

p. 73, 15: *Ἐκ Σικελίας Ἀθηναίους* pro *Ἀθην. ἐκ Σικ.* W M N. Alibique.

Qua de causa negari nequit libros M N certa ratione si non cum ipso W certe cum eius cognato aliquo coniunctos esse[3]) ita ut huic libro fortasse etiam ei debeantur loci, ubi M N contra U Maximi verba restituerunt. Huic opinioni haud scio etiam an id testimonio afferre liceat, quod in N codice, ut vidimus (cf.

---

[1]) talibus locis iam allatis infra permultos adiungam.

[2]) cf. locorum, quos modo (p. 33) attulimus, 373, 10; 376, 9.

[3]) eos ex ipso W fluxisse credere prohibemur ea re, quod W abundat vocibus omissis, quae fere omnes exstant in M N.

p. 22), recentioris numerationis, qua W Z usi sunt[1]), vestigia inveniuntur.

Quae quoniam de U libri tertia manu et libris B H Q V M N diximus, nonnullis exemplis ostendere liceat etiam U codicis secundae manus vestigia praebere libros B H M N[2]):

p. 79, 13: (corr. comm.) *πόλεμον οὐκ εἶναι νόσον* R A W Z M N *πόλεμον οὐκ εἶναι νόσον* U^1 *πόλεμον οὐκ οἶδε νόσος* U^2 (i. mge *εἶναι*) B H (n. qu. *εἶδε*).

p. 124, 12: *κινήσας* U^1 H (i. mge *κλο*) M N *κλονήσας* r. R A W Z U^2 B.

p. 139, 19: *γεννητὴν* R A W U^2 M H *γενητὴν* Z (ex *-ετὴν*) N O *γενέτην* U B.

p. 143. 15: . . . *ἵνα εἰδῇ σαφῶς* ita r. R A W Z U^2 H M N . . *ἴδῃ* . . U . . *ἴδοι* . . B.

p. 169, 1: *δράματι* R A W Z U^2 M N *δράματι* U^1 B H.

denique:

p. 164, 16: *συμπλοκῆς* r. R A W Z U^2 M N (H?) *μαντικῆς* U^1 B.

Quos locos contemplato mihi omnino non dubium videtur quin re vera codices B H M N ex U libro fluxerint etiam ab altera manu iam correcto. In or. 34, ubi omnes ,vulgatae' codices nobis praesto sunt, lectiones ab U^3 adscriptas ad sententiam totius ,vulgatae' ad U redeuntis demonstrandam non sufficere doleo. Tamen si consideraveris, quam arte etiam ceteri ,vulgatae' codices et cum ipso U et cum B H (Q V) M N cohaereant, non iam verisimile esse negabis etiam ceteros omnes ,vulgatae' libros redire ad codicem U.

Quae cum ita sint, meo iure dicere mihi videor illos codices (sc. ,vulgatae' codd.) eorum archetypo (U) servato plane neglegendos esse. Cui sententiae favet, quod tota in or. 34 ne uno quidem loco hi libri soli veram servaverunt lectionem. Neque ceteris in orr., ubi specimina codicum A W Z U (VI—XV) vel W U (30—33, 35, 1) mihi praesto sunt, locus invenitur, quo ceteris libris negantibus illorum huic vel illi genuina debeatur lectio. Omnibus enim locis, ubi contra R A W Z vel etiam contra U

---

[1]) sc. numerationis *α'—μα'*; numeri *β'—ϛ'* = orr. 31—35 et *ζ'* or. 1; cf. tab. II et supra p. 22.

[2]) memineris U^2 inveniri in orr. VI—XV, ubi R A W Z U B H M N libri mihi praesto sunt.

veras lectiones praebere videntur, statim apparet librarios coniecturis factis eos sanare voluisse[1]).

Quia igitur vidimus eos ad Maximi verba restituenda nihil valere[2]) et ad U librum omnes redire optimo iure infra eos neglegere nos posse sane putamus, praesertim cum ‚vulgatae' codicibus non iam respectis tota quaestio multo clarior fiat.

Priusquam autem ad codices, qui supersunt, sc. R A W Z U perquirendos aggrediamur, breviter ostendemus, quas potissimum in familias libri Uς or. 34 explicata sint dividendi.

Qua in re omnes eos locos enumerare omitto, qui ad artiorem cognationem intellegendam nihil valent.

Bini igitur, deinde terni etc. alterius classis codices congruunt in prava lectione exhibenda atque his potissimum locis:

B H 392, 8 om. *ἥλιος*; 11: om. *τοι*; 393, 2: *ἐν . . .ποσὶν* pro *ἐν ἐλπίσιν*; 10: *παίει* pro *πταίει*; 14: add. *γὰρ*; 394, 2: *φησί* pro *φησίν*; 395, 8: *μακράν* pro *μακρά*; 396, 4: om. *καὶ στρατηγὸν*; 397, 11. 12: *ταῖς εὐτυχίαις* pro *τῆς εὐτυχίας*; 399, 10: om. *τῷ* ante *Διὶ*; 12: om. *τὰ* ante *θηρία*.

Elucet, in fallor, quod iam supra suspicati sumus: sc. B et H libros ex uno fonte fluxisse.

G X 390, 12: om. *εἰ*; 394, 9: *νέμειν* pro *νέμει*; 396, 7: *εὔοιππον* pro *εὔιππον*; 396, 19: *μοι* pro *μή*; 397, 5: *λοιμός* pro *λιμός*; 398, 7: *τὸ Ἀχιλεῖ* pro *τῷ Ἀχιλλεῖ*; 400, 8: om. *τὸ* ante *φάρμακον*.

Apparet vel G (saec. XIV^{i}) et X (saec. XV^{i}) ad idem archetypum redire vel X librum fluxisse e codice G[3]).

Sequuntur loci, quibus demonstratur nonnullos codices, si non ex eodem fonte hauserunt, at certe artiore cognationis vinculo coniunctos esse:

M Y 396, 6: *ἄσμασις* pro *ἄμασις*; 398, 16: *ὁ θάνατος* pro *ἀθάνατος*; 401, 2: *σπεῖρε* pro *σπεῖρα*.

D F 397, 12: om *ἡ* ante *Ἀσία*.

---

[1]) eiusmodi paucos locos opusculo exeunte afferam.

[2]) cf. etiam Mutschm. p. 576, vv. 5. 6.

[3]) cf. etiam Mutschm., l. l. p. 578 ineunte.

G X D F 401, 4: *βουληφόρους* pro *νικηφόρους*; 401, 6: *ἀποστεφανεῖς* pro *-νοῖς*.

M Y D X 391, 14: *δρόμῳ* pro *-μου*; 395, 5: (X alt. m.) *αὐτὴ* pro *ἀκμῇ*.

U B H Q V 391, 6. 7: praebent illam decem fere literarum lacunam, qua optime, ut iam diximus (p. 24sqq.), apparet libros B H (Q V) ex U libri ipso filio vel filiis fluxisse.

M Y G X F 394, 10: *μικτῶν κακῶν καὶ ἀγαθῶν* pro *μικτὸν ἀγαθ. κ. κακ.*. 398, 1: *ἡδονῆς* pro *δίψης*.

M Y D F N T 395, 5: *τὴν συνουσίαν* pro *οὐσίαν*.

U B H V G X E F T 393, 14: *ἡ τῆς ὁδοῦ λεία* pro *τῆς ὁδοῦ ἡ λεία*.

U B H M N Y G X D F E 399, 11. 12: *αὐτοῖς* (add. *τῆς* U^{3}) pro *αὐτοῖς τῆς* ⟨*ἀρετῆς*⟩.

Hoc demum loco codices B H congruunt cum ceteris, qua re, ni fallor, apparet hos codices (sc. B H) iam prius discessisse a ceteris neque longe abesse ab inferiorum fonte communi i. e. ab ipso U.

U B H Q V M Y G X D F E 398, 7: *γὰρ καὶ* pro *γάρ τοι* (*που* Hob.) *καί*. cf. etiam 398, 14. 15, ubi U cum ‚parte sequiorum' (Hob.) congruit praebens: *κατασκίῳ*$^{\beta}$ *καὶ καταρρύτῳ*$^{\alpha}$ pro *καταρρ. καὶ κατασκ.*

Hic ponendus est illorum quattuordecim (Uς contra R A W Z) codicum consensus:

U B H Q V M N Y G X D F T E, qui libri, ut iam supra vidimus, octo gravioribus locis corruptis inter se consentiunt [1]).

---

[1]) hic etiam nonnulla dicenda sunt de codicibus I Flor. Laur. Cons. sopp. 4 s. XIV^{1}, cuius Hob. affert or. 28, C Ambros. B 98 sup. s. XV^{1}, cuius Hob. affert or. 28, O Paris. Reg. 1817 s. XVI^{1}, cuius Hob. affert orr. 11, 12, P Paris. Genevieve 3394 s. XV^{1}, cuius Hob. affert orr. 11, 12, 14, S Flor. Medic. 85, 15 s. XIV^{1},

§§ 7—11.

Vulgatae codicibus tractatis eo transeamus, ut codices, qui supersunt, sc. R A W Z U perquiramus. Qua in re etiam minoris momenti locos silentio adhuc praetermissos in usum vocabimus.

---

cuius Hob. affert or. 9, denique de libris φα ordine vulgari (i. e. ab or. 11 incipiente, cf. p. 15) omnes Maximi orr. continentibus; de φα Hob. p. LXXII dicit: ‚φ cod. Flor. Paccii?' et ‚α = Arlenii (quo usus est Stephanus)' i. e. quae sunt in Paccii versione (cf. φ p. III) et H. Stephani editione (α cf. p. IV). Hob. ad codices revocavit, quibus usi sunt. Deinde: cod. I (p. XXXVIIsq.) ordine vulgari omnes praebet orr., cod. C nihil nisi or. 28 continet, cod. O nihil nisi orr. 11, 12 (i. e. etiam hic e libro fluxit ordine vulgari uso), cod. P nihil nisi orr. 11, 12, 14 (i. e. etiam hic e libro fluxit ordine vulgari uso), cod. S nihil nisi or. 11 (i. e. etiam hic e libro fluxit ordine vulgari uso), cod. K nihil nisi orr. 1—11 (sic!).

Iam primo obtutu cognoscis codd. φα I O P S, quippe qui ordine vulgari ab or. 11 (sec. Hob.) incipiente utantur, in ‚vulgatae' codicibus esse numerandos (cf. etiam Mutschm. de α libro p. 579[1]). Quod confirmatur titulis, quos exhibent:

habent ante or. 11 (sec. Hob.): ‚*Μαξίμου Τυρίου σοφιστοῦ καὶ φιλοσόφου· λόγος περὶ τοῦ τίς ὁ θεὸς κατὰ Πλάτωνα;*' M (om. *καὶ φιλοσ.*) N O P (om. *λόγος*). *Μαξ. Τ. Πλατ. φιλοσ. τῶν ἐν τῇ* (sic! ut U[1] B H Q V! cf. p. 16) *Ῥώμῃ διαλ. τ. πρ. ἐπιδ. λόγοι μα'* (cui numero numeratio *α'—μα'* inde ab or. 11 incip. respondet, cf. tab. II) *περὶ τοῦ τίς ὁ θεὸς κ. Πλάτ.* α, *τί ὁ θεὸς κ. Πλάτ.* φ. Hac e specie externa vel intellegitur etiam codd. φα I O P S ut ς redire ad U librum. Sed etiam e verborum memoria elucet, quo loco φα O P S sint ponendi, quanti aestimandi (sc. graviores tantum affero locos), nam cf. 130, 10: M N O P S φα: *ἄλλα* pro *ἄλλοις*, quod cett. i. e. R A W Z U B (H); 130, 10: M N O P S φα: *καὶ οὐ ταὐτὰ* pro *ταὐτὸ*, quod cett. i. e. R A W Z U B (H); 132, 14: M N O P S φα: om. p. 133, 1 *τί ταῦτα* — v. 3 *λέγει*, qu. habent cett. i. e. R A W Z U B (H); 134, 6: M N O P S φα: (α nisi quod *τὰ ἴχνη*) *τῶν ἐχόντων τέχῃ* pro *τ. τῶν ἐχ.*, quod. cett. i. e. R A W Z U B (H); complures locos alios. Accedunt igitur codd. φα I O P S ad libros M N, quos etiam ea in re sequuntur, quod ne uno quidem loco lectionem praebent, quae R libro meliori fonti debetur. Immo velut in libris φα (cf. exempli gratia locum iam supra tractatum p. 24sqq. et ap. Hob. 391, 6. 7) permultis locis coniecturas inveniri fere semper nobis non placentes primo oculorum obtutu certe cognoscet, qui Hobeinii ‚appar. critic.' inspexerit. Quod accuratius explicare de illorum codicum auctoritate cogitantibus nobis longum neque operae pretium videtur. Nam vel nunc optimo iure dicere possumus etiam hos codd. ut ς, in quibus sunt numerandi, ad Maximi verba restituenda nihil valere.

Neque aliter est res in libris I K: Liber I sane saepius R (W) codicum lectiones servavit velut (cf. Hob. p. LXII s. W et Mutschm. p. 578, qui uterque idem observavit):

§ 7.

Codices omnes ad unum redire archetypum demonstratur locis his:

p. 391, 6: ubi codd. omnes certa verba (fortasse *κακά· καθάπερ εἰ ἐξὸν*, cf. supra p. 24sqq.) omiserunt.

---

p. 332, 16: *πώμασιν* r. R I D M N (supr. o) *πόμασιν* W C H *φα*;

p. 333, 6: (corr. comm.) *διεστησιαντε* R W I (pr. m.) *διεστασίασται* C H *διέστησέτε* M N I (alt. m.) D (alt. m.?). Elucet vel ex hoc loco I libri alteram manum locos corruptos coniecturis sanare conari. (Ceterum cf. Mutschm. p. 578 et ead. p. adn. 1);

p. 334, 4: *μετέβαλλον* r. R I M N *μετέβαλον* W C D H;

aliis locis.

Altera a parte stant loci, ubi I cum ‚vulgatae' codicibus, quos Hob. hac in or. (28) attulit, sc. C D H M N congruit in falsa lectione exhibenda velut:

336, 1: *λῦπαι* r. R W *λύπαι* I C D H M N;

337, 15: *ἥ* R M N *φα* *ἡ* I C D H M N.

Quamquam igitur librum I ad R accedere negare non possumus, tamen, quod ex orationum ordine iam conclusimus, sc. etiam hunc codicem certo circuitu redire ad R confirmatur ea re, quod etiam I nullo loco meliorem R libro lectionem tradidit.

Restat ut de K codice disseramus: qui liber ordine vetustiore (ab Regii 7, Hob. prima incipiente, cf. ceterum p. 13sqq.) usus primo oculorum obtutu e fonte fluxisse videtur meliore et vetustiore ipso codice R (quod iam vidit Hob. p. XXXVIII). Huic autem sententiae opponendum est primum (cf. iam Hob. l. l.): librum K nulla tituli — sive plenioris *Μ Τ. Πλατ. φιλ. τ. ἐν Ρ. διαλ.* . . . sive alterius *Μ. Τ. φιλοσοφ.* — vestigia praebere. Qua e re haud scio an concludere possimus K codicis librarium prioribus sex (30—35 ord. vet. et Hob., 1—6 ord. rec. et Regii) orationibus neglectis ab or. 1 (Hob. et ipsius K, 7 Regii) initium cepisse. Quod eo verisimilius est, quia sane fieri potuit, ut librarius in fonte suo vetustiorem illam numerationem a septima Regii (= 1 Hob. et ipsius K) A' litera orsam inveniret. Accedit quod in titulis orationum 6 (*τί ἐστιν ἐπιστήμη* W K B M [add. *τοῦ αὐτοῦ*] N *α φ* [add. *λόγος μ'* uterque] *τί ἐπιστήμη* r. R A Z U) et or. 5 (*εἰ δεῖ εὔχεσθαι* R B H *περὶ Μίδου τοῦ Φρυγὸς* K D N [add. *τοῦ αὐτοῦ*] M [add. *εἰ δεῖ εὔχεσθαι*] *α* [add. *λόγος λ'*], qui titulus ortus est e scholio R libri margini adscripto, cf. Hob. p. 52, app. crit. s. 4) plane deteriorum fert imaginem. Quam ob rem vetus ille ordo casu ortus videtur neque sumptus e libro vetustiore et meliore ipso R. De hac re adhuc dubitanti dubitatio certe tolletur K libri verborum memoria in comparationem vocata, nam cf.:

p. 99, 9 (in Homeri versu ζ 150): *εἰ δέ τοι* (ita U K B M N pro *τις*, quod R A W Z) *θεός ἐσσι, τοι οὔρανον εὐρὺν ἔχουσιν.*

p. 101, 15: (c. comm.) pro *πέρι σκοπούμεθα* (Hob., Meiser, Duerr) habent *περισκοπούμεθα* R A W Z *περισκοπώμεθα* U K B H M N.

p. 392, 6sqq.: *Εἰ δὲ θᾶττον μὲν ἀνάσχοιντο οἱ ὀφθαλμοὶ ἀυπνίας, ἢ σταίη ὁ ἥλιος, θᾶττον δ' ἀνισταίη* (ita R W *δ' ἂν σταίη* A Z U ς) *ὁ ἥλιος, λίαν δ' ἔχοιντο* (ita R A W Z U ς) *οἱ ὀφθαλμοὶ ἀυπνίας, οὐκ εὐχῆς ἔργον ἡ πρὸς τὸ φῶς φιλία, ἀλλὰ ἀνάγκης ἡ πρὸς νύκτα συνουσία.*

Inde a verbis *ὡς εἰ* . . . p. 391, 11 usque ad 392, 6 . . . *νεκροῦ* haec potissimum dicere vult M.: si hominum oculi sole ipso semper in caelo stante lucem perpetuam ferre possent neque aspectu solis oculi defatigarentur, nemo ita esset demens ut noctem amaret et corporis abiectionem morti proximam (*σώματος ῥίψιν*). Verbis autem sequentibus transit ad contrarium explicandum: si res ita se habet, ut facilius oculi sine somno durare possent quam stare sol atque facilius sol stare posset quam oculi sine somno durare, id est: si alterum non magis quam alterum cogitari potest, iam non id agitur, quid optemus, sed quid necessario accipiendum sit.

Qua in re explicanda Maximus consilio diligenti membrorum conformatione usus (sc. *εἰ δὲ θᾶττον μὲν ἀνάσχοιντο οἱ ὀφθαλμοὶ ἀυπνίας ἢ σταίη ὁ ἥλιος θᾶττον δ' αὖ σταίη*[1]) *ὁ ἥλιος ἢ ἀνέχοιντο οἱ ὀφθαλμοὶ ἀυπνίας*) opposuit enuntiata: ‚*Εἰ δὲ θᾶττον* . . .‘ et ‚*θᾶττον δ'* . . . *ἀυπνίας*‘. Qua de

p. 102, 15: *δὲ* pro *δὴ* Z K B M.

p. 102, 18: *καὶ* ante *ἔδωκεν* add. U K B M N *α*.

p. 104, 2: *δὲ* post *ἄνθρωπος* f. add. (nam cf. *ἄνθρωπος θηρίῳ . . . θηρίον φυτῷ* v. 2) U K B M N *α*.

p. 104, 2: etiam *δὲ* post *θηρίον* f. add. K M N *α* (non U et B H).

p. 106, 1: *εἰ* pro *ἡ* K N *φα*.

p. 106, 14: *χρῆμα ἑστὼς* W K M N.

p. 107, 19: (de hoc loco infra loquar) *αὐτῷ* W (n. qu. *αὐτ-*) K M pro *αὐτοῦ*; haud scio an inde, quod K tantopere cum M N facit, colligi possit etiam K librum ut M N cum codice W certa ratione cohaerere: cf. p. 106, 14 et 107, 19, inprimis autem 107, 17, ubi *περιεργίας* pro *πολυρεγίας* W *πολυεργίας* cum cett. K (supr. *περι*).

p. 108, 12: *τῇ γῇ* U (p. corr. ead. m.) K B M N *α* pro *τὴν γὴν*.

p. 108, 12: *συναναμίγνυσθαι* U B K M N *α*.

Quibus locis allatis quis contendere vult librum K redire ad exemplar melius libro R? Immo tot tantisque locis vel una in oratione cum aliis congruit in falsis lectionibus exhibendis, ut dubitari nequeat, quin etiam liber K vel casu vel causis supra dictis vetustum ordinem secutus ut *αφ* O P S I in ‚vulgatae‘ codicibus (ς) sit numerandus.

[1]) ita pro *δ' ἀνισταίη* vel *δ' ἂν σταίη* et deinde ‚*ἢ ἀνέχοιντο*‘ pro ‚*λίαν δ' ἔχοιντο*‘ legend. esse infra videbimus.

causa mihi quidem recta videtur Davisii[2] coniectura *δ' αὖ σταίη*, qua *αὖ* particula subiuncta voci *δὲ*, quam illi *μὲν* post *θᾶττον* posito respondere apparet, alterum enuntiatum alteri efficaciter opponitur. Neque vero intellego, quo modo M. hoc loco *δ' ἀνεὶς σταίη* — ut Hob. vult — scribere potuerit, cum utroque loco antecedente sc. p. 392, 1 et potissimum 7 dicat solum ‚*σταίη*'. Hobeinii coniecturam sequi vel membrorum conformatione consulto a M. huic loco adhibita prohibemur. Id quidem constat omnes codd. hoc loco falsam lectionem exhibentes deprehendi atque vix potest esse dubium, quin illud *ἂν σταίη* (A Z U ς) nihil sit nisi coniectura eius, qui *ἀνισταίη* (R W) plane sensu carere sibi persuaserat.

Hic facere non possum, quin statim sequens omnibus codicibus commune mendum tractem sc. v. 8, ubi codd. tradunt *λίαν δ' ἔχοιντο*. Concinnitatem membrorum considerantibus nobis omnino non dubium est quin hoc loco olim exstiterint verba: *θᾶττον δ' αὖ σταίη ὁ ἥλιος ἢ ἀνέχοιντο* (ut v. 2) .... Ubi corruptela *λίαν δ' ἔχοιντο* — litera *δ'* coniungendi causa postea demum addita — ex *ΙΗΑΝΕ* ... (= *ΗΑΝΕ* ...) male scripto orta videtur. Certe Hobeinii coniectura ‚*νὴ Δία*', qua verba omnino superflua intruduntur, plane disturbatur membrorum concinnitas.

Quibus de causis putamus hac ratione legendum esse totum locum:

Εἰ δὲ θᾶττον μὲν ἀνάσχοιντο οἱ ὀφθαλμοὶ ἀυπνίας ἢ σταίη ὁ ἥλιος, θᾶττον δ' αὖ σταίη ὁ ἥλιος ἢ ἀνέχοιντο οἱ ὀφθαλμοὶ ἀυπνίας, οὐκ εὐχῆς ἔργον κ. τ. λ.

p. 398, 11 sqq.: . . *Καὶ τῷ Ὀδυσσεῖ* (sc. *ἐξῆν*) *οἴκοι μένειν περὶ τὸ Νήριτον τὸ εὔφυλλον*

(cf. *ι* 27) ‚*ἐν τῇ γῇ τῇ κουροτρόφῳ*',

ἢ τὸ τελευταῖον παρὰ Καλυψὼ ῑ . . ν (ita R om. *ῑ . . ν* A W Z U ς!) *ἐν ἄντρῳ καταρρύτῳ καὶ κατασκίῳ, ὑπὸ Νυμφῶν θεραπευομένῳ, ἀγήρῳ ὄντι καὶ ἀθανάτῳ·*

Verbum hoc loco supplendum esse post *Καλυψὼ* et codicis R lectio suadet et ea res, quod illud *μένειν*, quod antecedit, tam arte cum *οἴκοι* coniunctum est, ut non ad *παρὰ Καλυψὼ* audiri possit. Illud *βιοῦν* autem, quod Hob. restituit, neque ad codicis R literas quadrat neque sententiae nimis aptum est. Loquitur

enim de Ulixis vita Maximus. Qua in re narranda eum de illo Homeri loco cogitasse quis est qui neget? Quod omnia illa ab ‚*ἐν ἄντρῳ*‘ . . usque ad ‚. . *ἀγήρῳ ὄντι καὶ ἀθανάτῳ*‘ [1]) verba plus quam sat est demonstrant. Deinde mihi quidem omnia verba consideranti probatur Maximum, quo magis perspicuum fieret Ulixem, quamvis pulchra et a curis vacua vitae ratione usus esset, tamen illam mulierem relinquentem praetulisse vitam, in qua ‚*τῇ ἀρετῇ χρῆσθαι*‘ (cf. p. 399, 1) posset, certam illius mansionis imaginem nobis proponere velle. Itaque optime occurrit *ἰαύειν* verbum, quod ε 154 (—155) invenitur, ubi Homerus Calypso et Ulixem commemorat:

154: *ἀλλ᾽ ἦ τοι νύκτας μὲν ἰαύεσκεν καὶ ἀνάγκῃ*

155: *ἐν σπέσσι γλαφυροῖσι παρ᾽ οὐκ ἐθέλων ἐθελούσῃ.*

Quibus de causis legendum esse puto:

‚. . . *παρὰ Καλυψοῖ ἰαύειν ἐν ἄντρῳ*‘ . . .

Summi autem momenti mihi videtur hoc loco R solum vocis alicuius vestigia tradidisse, quae ceteri omnes, quo modo locum sanarent, nescientes plane omiserunt. Inde apparet neque codices AWZ neque U e codice fluxisse, qui hoc loco, ubi codicis R archetypum mutilum erat, plura praeberet.

Ceterum cf.

p. 391, 10 sqq.: *῎Εχε δὴ αὐτόθι. Μὴ ἀποκρινούμεθα σού πηλίκον* (ita codd.) . . .

p. 398, 7 [2]): *᾽Εξῆν γάρ του* (ita R A W Z [T] *του* om., quia, quid sibi vellet, non intell., cum U etiam ς—*T.*) *καὶ τῷ ᾽Αχιλλεῖ* . . .

Quos ad locos accedunt orr. VI—XV loci hi:

p. 76, 3 sqq.: *δύο γὰρ ὄντοιν ἐν τῇ τοῦ ἀνθρώπου ἁρμονίᾳ, ψυχῆς καὶ σώματος, εἰ μὲν οὐ πέφυκεν ψυχὴ νοσεῖν, ἣν ἂν δήπου τὸ ἆσμα τοῦτο εὐχῆς* (ita R A W Z U) *σώματος τοῦ καὶ πεφυκότος νοσεῖν καὶ ὑγειατερωννος* (ita R A *ὑγιαίνειν* [quod U in mge] W [acc. ΄ supra ϊ et alt. ε positis] *ὑγιαζομένου* Z *ὑγιαίνειν* U).

Dicere vult M.:

Duo sunt, quibus homo est compositus, anima sc. et corpore. Siquidem certum esset omnino nullum esse animae morbum, sine

---

[1]) cf. η 257.

[2]) quem locum iam supra p. 27 sq. attulimus.

dubio concludendum esset hoc carmen[1]) esse votum corporis, quod et natura in morbos incidere potest et (nunc sine dubio exspectamus:) sanitatem desiderat (nam, quia sanitatem desiderat, *εὔχεται τὸ σῶμα*).

Quae cum ita sint, primum pro ,*εὐχῆς*' certe ,*εὐχὴ*' legendum esse nemo negabit. *Εὐχῆς* autem scriptura aut, ut Hob. putat, inde orta est, quod lineolae sequentis litera aliqua ς suprascripta in v. 5 irrepsit, aut, quod certe verisimilius est, dittographia[2]), quae vocatur. Deinde: e loci sensu intellegimus voces quaerere nos debere, quibus corporis ,sanitatis desiderium' exprimitur. Ea ipsa autem e re sequitur voces *ὑγιαζομένου* (Z) et *ὑγιαίνειν* (U et A pr. v. l.), quae praeterea sensui omnino non favent, sine dubio coniecturis deberi. Quae in R A W autem libris nobis traditae sunt, literas sc. *ὑγειατερωννος* si contemplamur, statim intellegimus, ni fallor, verbum *ἐρῶντος*, quod et ad sensum et ad literas traditas optime quadrat, iis inesse ita ut vix dubium sit quin Davisius vocibus *ὑγείας ἐρῶντος* Maximum recte reddiderit (multo peius Hobeinii *ὑγείαν στέργοντος*). Elucet autem etiam hoc loco omnes codd. redire ad unum atque idem archetypum iam corruptum, cuius imaginem optime servaverunt R A W, cum codicum Z U lectiones certe sint coniecturae.

p. 79, 3sqq.: *Πάλιν αὖ τὴν ὑγείαν ἐφ' ἑκατέρου σκόπει. Ἡ μὲν πάντων ἀδεής, ἡ δὲ πάντων ἐνδεής· ἡ μὲν εὐδαιμονίαν χορηγεῖ, ἡ δὲ πορίζεται* (ita codd.)· *ἡ μὲν ἄμοιρος κακῶν, ἡ δὲ ἐπισφαλὴς εἰς μοχθηρίαν. κ.τ.λ.*

De loci sensu dubitari non potest: ,altera sanitas beatitudinem solam praebet altera dat calamitatem'. Apparet verbum *πορίζεσθαι*, quo M. hoc sensu persaepe utitur velut pp. 128, 3; 404, 17; 410, 15, optime respondere voci *χορηγεῖ*. Ex enuntiato autem praecedente et e sequentibus enuntiatis elucet etiam hic Maximum ,sanitatum' illarum diversitatem acute exprimere voluisse. Vel idcirco et quia verbum inusitatum *ποθίζεσθαι* (Hob.) nullo alio loco apud M. invenitur, illa Hobeinii coniectura huic loco sufficere mihi non videtur. Potius ,*πορίζεται*' lectionem omnium codicum

---

[1]) sc. votum illud p. 75, 9. 10 exstans: *ὑγεία πρεσβίστα μακάρων, μετὰ σοῦ ναίοιμι τὸ λειπόμενον βιοτᾶς* (Arisphro Sicyon. ap. Athen. 702 a. b).

[2]) *ΕΥΧΗΣΩΜΑΤΟΣ* vel *εὐχησώματος*.

fide servatam retinere et, ut bonum oriatur contrarium, *κακοδαιμονίαν*[1]) vel *ἀθλιότητα*, quae vox saepe voci *εὐδαιμονίαν* opponitur[2]), vel eiusmodi vocem inserere debemus. Simul iterum cognoscitur omnes libros vocem aliquam omittentes ad unum spectare fontem.

p. 101, 13 sqq.: *Καὶ τὰ μὲν ἄλλα ἡμῖν, τὸ νῦν ἔχον, κατὰ χώραν ἔστω· ἐπεὶ δὲ τῆς δαιμονίων φύσεως περισκοπούμεθα* (ita R A W Z *-ώμεθα* U ς), *ἣν φαμὲν μεσότητα εἶναι πρὸς ἄνθρωπον καὶ θεόν, ἴδωμεν εἴ πῃ δυνατὸν ἐξελέσθαι αὐτήν, καὶ διασῶσαι τὰ ἄκρα.*

Non dubium est, quin cum Duerrio, Hobeinio, Meisero[3]) *πέρι σκοπούμεθα* scribendum sit. Ceterum cf. *πέρι*: pp. 309, 1; 471, 1; 492, 8 alibi. Ex ea autem re, quod omnes codd. *περισκ.* verbum continuum scribunt, fortasse concludere possumus fontem communem iam literis minusculis fuisse scriptum.

p. 133, 3 sqq.: „. . . *θεοῦ πάντα ἔργα, ἡ ψυχὴ λέγει, καὶ τὸν τεχνίτην ποθεῖ, καὶ καταμαντεύεται τῆς τέχνης. Εἰ δὲ ἐξεγένοντο ἐν τῷ ξύμπαντι αἰῶνι δύο που καὶ τρεῖς, ἄθεον καὶ ταπεινὸν καὶ ἀνεισθὲς γένος . . . . καὶ παρὰ τούτου ὅμως τοῦ γένους ησπευσει* (ita R acc. super *υ* add. A W *πεύσῃ* om. *ησ* Z U ς).

Videmus literas *ησ*, quas in communi archetypo iam corrupto exstitisse certum est, in libris Z U ς consulto esse omissas, quia non iam intellegebantur. Simul autem elucet vocem olim exstitisse, cuius reliquiae literis *ησ* efficiuntur. Talem vocem ut recte suppleamus, loci sensum explicare debemus. Dicit M. (cf. cp. V)[4]): ubique terrarum homines consentiunt dicentes unum esse deum, omnium regem et patrem, ceteros deos unius dei esse filios illi additos. Quodsi inde ab hominum memoria duo vel tres exstiterunt homines deum negantes, tamen etiam apud eiusmodi homines deum invenire potes. Deinde sequuntur verba: *ἴσασι γὰρ οὐχ ἑκόντες καὶ λέγουσιν ἄκοντες.* Quid M. dicere vult

[1]) ut in *αφ* vir doctus coniectavit.

[2]) velut Plat. Theaet. 175 C: *Ἀνθρωπίνης ὅλως εὐδαιμονίας καὶ ἀθλιότητος.* Pol. 8, 545 A: *Εὐδαιμονίας τε περὶ τοῦ ἔχοντος καὶ ἀθλιότητος.* Ib. 576 D: *Εὐδαιμονίας αὖ καὶ ἀθλιότητος*; ib. 577 B: *πῶς ἔχει εὐδαιμονίας καὶ ἀθλιότητος.*

[3]) ‚Studien zu M. T.‘, Sitzber. d. Kgl. Bayr. Akad. d. Wissensch.; philos.-phil. Klasse 1909. Abhdl. 6, p. 43. Ceterum coniecturas Meiseri parum Maximi verba tradita respicientis fere neglexi.

[4]) cf. Reisk. ed. I. 316.

‚γὰρ' particula? Nonne ea et toto enuntiati sensu demonstratur verbum exspectari, ad quod M. cum his verbis tum particula ‚γὰρ' annectatur? Qua de causa sententia ita supplenda videtur: ‚quodsi . . . ‚etiam apud eiusmodi homines — sc. si quaesiveris — deum invenies, *ἴσασι γὰρ οὐχ ἑκόντες καὶ λέγουσιν ἄκοντες*'. Qua de causa cum Pohlenzio legendum mihi videtur ⟨*ἂν ζητ*⟩*ῇς* vel simile aliquid. Rursus autem cognoscimus codd. omnes ex uno profectos esse archetypo, quod etiam hic optime servaverunt R A W.

p. 167, 1: . . . *Εἰ δέ σου ἀντετύχει* (ita R A W Z U B H)[1]) *τῷ λογισμῷ τῆς πολιτείας κράσεις* (ita R A W Z U N [supr. ις])[2]), *ἀκούσῃ Πλάτωνος ὡδὶ λέγοντος. κ.τ.λ.*

Et literas traditas et loci sensum respiciens facere non possum quin Davisii[2] (quem Meiser secutus est p. 47sq.) coniecturam *ἀντιτυπεῖ* praeferam. Quo verbo si utimur, vox *κράσεις* in *κρᾶσις* est mutanda.

Denique tractare liceat locum in communi archetypo statuendo gravissimum sc.

p. 160, 8sqq.: *Καὶ περὶ μὲν τοῦ ἀνθρωπίνου νόμου καὶ αὖθις ῥητέον· τὸ δὲ θεῖον δοκεῖ σοι γινώσκειν πάντα ἑξῆς, καὶ τὰ καλὰ καὶ τὰ αἰσχρά.* Tum R W habent *καὶ τὰ ἄτιμα,* sed *καὶ τὰ τίμια* addit R i. mge; *καὶ τὰ ἄτιμα καὶ τὰ τίμια* praebent A Z U. Denique recentiores *καὶ τὰ τίμια καὶ τὰ ἄτιμα* exhibent. Apparet codicem W notam marginalem neglexisse, codices A Z U verba *καὶ τὰ τίμια* falso loco inseruisse; nam verum ordinem eum esse, quem recentiores libri (sc. B H M N) dant i. e. *καὶ τὰ τίμια καὶ τὰ ἄτιμα,* declarant verba antecedentia. Quae tamen res tam aperta erat, ut facile a quovis viro docto Byzantinorum temporibus verus ordo restitui posset. Denique hunc locum verbo non addito afferam[3]):

p. 402, 15sqq.: *Φέρε οὖν, ἐγώ σοι ὑπὲρ τοῦ Ὁμήρου διηγήσομαι ωστωσιν* (ita R et n. qu. *-σι* W Z *-σεν* U) *ηρεναι πο* (ita R U *νηρεναι πο* W [novo versu incipiente] *νηρέναι τὸ* Z) *λέγων·*

---

[1]) codicum M N *ἀντιτυπεῖ* lectionem coniecturam esse luce clarius est.

[2]) *κράσις* B H M; dubitari nequit quin scriptura *κράσις* (sic!) in his libris e *κράσεις*, quod offensioni erat, orta sit, praesertim cum accentum ´ servatum esse videamus. Ceterum de *ϊ* et *εϊ* commut. cf. Hob. p. LX[2].

[3]) cf. etiam pp. 101, 13sqq.; 374, 1sqq.

Recte Markl. *οὑτωσὶ ἠρέμα πω λέγων.*

Cognoscitur, ni fallor, e locis prolatis ex uno omnes codices profectos esse archetypo. Ceterum apparet omnibus locis R librum archetypi imaginem optime omnium codicum servavisse inprimis (cf. supra): 392, 7; 398, 14. Etiam tanta est eius auctoritas, ut nonnullis locis R solo usi archetypum restituere possimus velut 398, 14, ubi ceteri codd. ne lacunam quidem indicant, et 160, 10, quo loco R codex *κ. τ. τίμ.* in margine et *κ. τ. ἄτ.* inter Maximi verba exhibens ipse archetypum, ut ita dicam, efficit, quo intellecto falsa ceterorum lectio optime illustratur. Utrumque locum, velim, memoria teneas. Simul autem vidimus eos locos, ubi R negante ceteri libri veras lectiones tradidisse videntur, perfacile coniecturis restitui potuisse. Atque coniecturas ibi exstare ut statuamus, suadent sescenti loci, ubi ceterorum — inprimis U codicis — librarii corruptelas sanare conati plane disturbaverunt archetypi imaginem.

Ut summam faciamus:

R liber ceteros omnes codices superans superatur a nullo.

§ 8.

De codicum fonte communi dubitari non posse quoniam vidimus, eo transeamus, ut libros R A W Z—U in duos ordines dividendos esse explicemus, quorum ab altero stant libri R A W Z ab altero U[1]).

Quod quia iam e locis, quibus demonstravimus codd. ς ex U libro omnes fluxisse, satis intelleximus sc. e locis supra (pp. 23—31) tractatis:

391, 5. 6; **392**, 2. 3. 9. 10; **393**, 15; **397**, 10. 11. 12. 20; **398**, 7. 14. 15; **109**, 14; **116**, 2; **111**, 17; **151**, 3; **183**, 14; **15**, 5; **360**, 11. 13; **371**, 8; **382**, 3; **387**, 10; **12**. 19; **350**, 9; **353**, 12; **356**, 9 i. e. e 24 locis, ubi R A W Z semper contra U ς veras lectiones servaverunt, tres tantum locos addere liceat, quibus R A W Z libris repugnantibus U (cum ς) vera Maximi verba restituit:

p. 107, 17 sqq.: *Ἐπειδὰν γὰρ ἀπαλλαγῇ ἡ ψυχὴ ἐνθένδε ἐκεῖσε, ἀποδυσαμένη τὸ σῶμα καὶ καταλιποῦσα αὐτὸ τῇ γῇ*

---

[1]) ad quem fere acced. ς.

φθαρησόμενον τῷ αὐτοῦ χρόνῳ καὶ νόμῳ, δαίμων τ' ἀνθρώπου (ita R A W Z et suprascr. ead. m. *ἀν* ita ut *ἀντ' ἀνθρώπου* efficiatur U)[1]) *ἐποπτεύει μὲν αὕτη τὰ οἰκεῖα θεάματα καθαροῖς τοῖς ὀφθαλμοῖς* . . . .

Sensus est: ‚Cum enim anima ‚hinc eo' se contulerit et exuerit corpus reliqueritque „suo" (sc. corp. ips.) tempore ac lege[2]) corrumpendum, daemon facta ex homine puris oculis spectacula intuetur sua.' Inde apparet certe cum libro U, e quo ϛ hauserunt lectionem, *ἀντ' ἀνθρώπου* legendum esse. Simul iterum habemus locum, quo apparet ad unum archetypum omnes codd. redire. Qua in re sc. quaerendum est, utrum vera illa *ἀντ'*. . . lectio in librum U e codice meliore omnibus, quos habemus, irrepserit an coniecturae debeatur. Quod quamquam pro certo adhuc diiudicari nequit, haud scio an ex ea re, quia U librum etiam aliis locis permultis sine dubio coniecturis (a prima m. scriptis) instructum esse et vidimus et infra videbimus, concludamus etiam hic veram lectionem e viri docti ingenio ortam esse (cf. Mutschm. med. p. 582).

p. 99, 11: exstat Homeri (ζ 153) versus:

εἰ δέ τις ἐσσὶ βροτῶν, τοὶ ἐπὶ χθονὶ νεαιτάουσιν (ita R A post. corr.) W Z *ναιετάουσιν* r. U ϛ).

Etiam hic in communi fonte ‚*νεαιτάουσιν*' exstitisse videtur. Certe nemo negabit perfacile fieri potuisse, ut ipsius U codicis vel exemplaris antecedentis librarius sive Homero ipso inspecto sive per se hunc locum corrigeret.

p. 168, 6 sqq.: ‚*Εἰ μέν τοι θεός ἐσσι, τοὶ οὔρανον εὐρὺν ἔχουσιν*' (= ζ 150), *οὐδὲν τῶν δεινῶν σὸν ἔργον, οὐδὲ καθ' εἱμαρμένην αἱ ἀνθρώπιναι συμφοραί· οὐ γὰρ θέμις ἀνάπτειν θεῶν* (ita A W [*οις* supr. ead m.] Z *θεῷ* U ϛ) *αἰτίαν κακοῦ.*

ἀνάπτειν verbum activum nullo loco cum genetivo coniunctum invenitur, potius dicere solent Graeci: *ἀνάπτειν τινί τι* velut *αἶσχός τινι* aut *εἴς τινα*[3]). Qua de causa non dubito, quin *θεῷ* M. scripserit, praesertim cum ex *θεῶι* facile *θεῶν* oriri potuerit. Deinde e pp. 167, 3 et 168, 6. 7 pro certo concludi potest etiam

---

[1]) ex U *ἀντ' ἀνθρώπ.* pervenit in ϛ.

[2]) Markl. (ap. Reisk. p. 279[d]) optime dicit: ‚secundum **tempus** sibi a deo praescriptum et **leges** a deo assignatas.'

[3]) Eurip. Androm. 1197.

hic numerum singularem postulari et *θεοῖς* in W coniecturam esse eius, cui *ἀνάπτειν* verbum cum genetivo constructum iure non placuit. Eadem certe causa commotus etiam U codicis librarius vel codicis praecedentis *θεῶν* genetivum in *θεῷ* correxisse mihi videtur. Quo modo *θεῶν* scriptura fortasse orta sit (sc. ex *θεῶι*), si quaerimus, haud scio an iterum concludere possimus commune archetypum iam literis minusculis fuisse scriptum [1]).

Cum his e locis tum ex illis iam supra tractatis satis nos cognovisse puto codicum R A W Z U (ς) alterum ordinem efficere libros R A W Z alterum U, ad quem fere accedunt omnes codices deteriores.

§ 9.

Priusquam ad alterius ordinis sc. R A W Z libros examinandos et U codicis varias lectiones explicandas aggrediamur, liceat ostendere etiam duos hos ordines certa ratione inter se coniunctos esse.

Qua in re ita versabimur, ut primum nonnullis tantum exemplis demonstremus etiam codicum A W Z hunc vel illum cum U cohaerere, deinde ad quaestionem primariam accedentes perscrutemur, quo modo liber U (s. XIII[1]) cum codice R (s. XI[1]), qui unus vetustior est quam ipse U, cohaereat [2]).

A U: 92, 2: *γῆα* pro *γυῖα* (A p. corr.)

142, 11: *ὑποβαλοῦσα* pro *ὑπολαβοῦσα* (A [pr. v. l.] U [corr.]).

176, 11: *εἴπῃ* pro *εἴποι*.

A Z U: 392, 7: *δ' ἂν σταίη* pro *δ' αὖ σταίη*.

160, 10: *καὶ τὰ ἄτ. κ. τὰ τίμ.* poss.

193, 8: om. alt. *μοι βίον λέγεις* (add. U², unde in ς perven.).

158, 15: *οἱ* om.

W U: 394, 1 sqq.:

(*Ω* 527): *δοιοὶ γάρ τε πίθοι κατακείαται ἐν Διὸς οὔδει, φησίν* (sc. *Ὅμηρος*)· *ὁ μὲν πλήρης κακῶν, ἀγαθῶν ἀνεπίμικτος· ὁ δὲ ἐξ ἀμφοῖν κεκραμένος (τρίτον γὰρ πίθον οὐδαμοῦ ἐν Διὸς εἶναι λέγει, ἀγαθῶν ἀκηράτων)*. [3])

---

[1]) cf. p. 44.

[2]) deteriores libros, quorum hic vel ille vel omnes nonnullis locis cum U congruunt, non iam respiciam.

[3]) ita R A Z *ἀκράτων* W U.

In Maximi dissertationibus ἀκήρατος et ἄκρατος sine ulla significationis diversitate inveniuntur. Velut ἀκήρατος exstat: pp. 129, 15; 143, 7 fin.; 437, 1 ἄκρατος: p. 394, 9 alibique. Apud omnes et cuiusvis aetatis rerum scriptores vel poetas nusquam ἄκρ. et ἀκήρ. adiectiva accuratius disiuncta inveniuntur [1]). De quo nos agimus loco, si certam verae lectionis imaginem fingere volumus, etiam, quae in vv. septimo et nono traditae sunt, lectiones respicere debemus: v. 6 . . . ἐκ μὲν τοῦ (sc. πίθου) κακῶν (v. 7:) ἀενάων (sic R A W r. ἀεννάων Z Y ἀκηράτων cett.) [3]) ῥεῦμα ἰσχυρὸν καὶ βίαιον μεστὸν ἐρίδων καὶ . . . (9:) ἀκράτων (hic solus W: ἀκηράτων) [2]). Nemo dubitabit quin in v. 7 ἀενάων sola lectio ferri possit, quia ἀκηράτων κακῶν voces subsequuntur in v. 9, ubi, cur deleatur omnium fere codicum lectio, non est causa.

Deinde voce ‚ῥεῦμα' demonstratur ἀενάων solum adiectivum, non ἀκηράτων, esse legendum. Quo modo orta sit ἀκηράτων varia lectio, facile intellegi potest: ἀκηράτων enim adiectivum pro varia lectione voci ἀκράτων olim adscriptum est, unde pro ἀενάων in ipsa Maximi verba irrepsit [3]).

Ceterum cf. locos:

p. 95, 6: τεχνῶν pro τεχνικὸς.

p. 100, 8: τοίνυν τὴν ψυχὴν ἔχον pro τ. τὸ τὴν ψυχ. ἔχ.

p. 138, 4: αἱρήσεται pro ἐρήσεται (?).

p. 71, 20: ἑστὼς pro ἑστὸς.

p. 358, 17: τερπομένους pro ταρπ.

Z U: 394, 4sqq.: Νέμει δὲ Ζεὺς τῷ τῶν ἀνθρώπων γένει, κατὰ τὴν Ὁμήρου ᾠδήν, ἐκ τοῖν πίθοιν τούτοιν ἀρυτόμενος (ita r. R A ἀρυόμενος W ἀρυττόμενος Z U (m. alt. quidem).

Praeterea hos afferre liceat locos:

p. 131, 3: κελεύεις pro -οις.

p. 143, 15: ἴδῃ pro εἰδῇ.

p. 176, 18: ἐν σπόδοις pro ἐν σπόνδοις.

p. 72, 7: οἱ om. (eras. A W).

p. 75, 7: τὰ om. in titulo.

p. 130, 6: ἡμῶν pro ὑμῶν.

p. 167, 6: χειμῶνος pro χειμῶνι.

---

[1]) cf. W. Schmid: ‚Der Attizismus': I. 104, 148, 251; III. 73, 99; IV. 121.

[2]) cf. contra Hob. in app. crit. ad h. l.

[3]) de scripturis ἀενάων et ἀεννάων cf. Hermannum ad Euripid. Jon. 117.

p. 133, 10. 11: πεύσῃ (c. acc.)[1].

Cognoscis, ni fallor, e locis, quos protulimus, e codicibus A W Z librum A rarissime cum U facere. Paulo saepius W et Z cum eo conspirant, sed etiam eorum cum codice U necessitudo minime tanta est, ut mutare cogamur sententiam, quam antea et orationum ordine numerationeque et verborum memoria examinatis nobis finximus sc. codd. A W Z plane alia atque U via ad commune archetypum redire neque illos libros (ss. XIV[i] et XV[i]) ex U vel cognato fluxisse[2]).

Nunc animum ad R (s. XI[i]) et U (s. XIII[i]) codicum cognationem perquirendam intendamus[3]).

U liber cum codice R falsas lectiones vel corruptas exhibens congruit his potissimum locis:

R U: 134, 12: εἰδόντες R ἐσιδόντες U (ἐσι in ras.!), ἰδόντες r. cett.

! 134, 15: ἀνοητάτου R (supr. το m. ant.) U (supr. το ead. m.!)

! 158, 7: σφενδονηταὶ R U (ex -ιταὶ ead. m.) pro -νῆται.

! 361, 11: βέβαιος R U[1] pro βέβαιον, quod W U[3] (desunt A Z).

367, 9: διά τε R U[1] διὰ τῶν W δίαιται U (m. post.) W[3] (i. mge; n. qu. δίαιτα).

R (A) **U:** 85, 12: προαπόλλυσι pro προσαπ.

R (W) **U:** 401, 11 sqq.: . . . Διὰ τοῦτο ἡ Σπάρτη ἐπὶ πλεῖστον ἐλευθέρα, ὅτι ἐν οὐδὲ εἰρήνῃ (ita posuerunt R W U οὐδὲ ἐν εἰρήνῃ A Z) σχολὴν ἄγει· κ. τ. λ..

Quis non videt omnino contra οὐδέ particulae usum esse scribere ἐν οὐδὲ εἰρήνῃ? Ne uno quidem loco vel apud M. vel apud ceteros auctores[4]) οὐδέ particula ita ut in R W U libris posita

---

[1]) eos locos, ubi A W Z U contra librum R stant, infra partim tractabimus.

[2]) memento nos supra (§§ 4 et 5) explicavisse codd. (A) W Z certum orationum ordinem numerationemque praebentes (ss. XIV[i], XV[i]) ex U libro certe non profectos esse. Quod locis etiam supra (§§ 6, 7, 8) explicatis plane confirmatur. Quam ob rem satis habuimus nonnullis exemplis ostendisse, quae fere necessitudo inter A W Z—U intercedat.

[3]) cf. etiam locos p. 60 sqq. allatos, ubi de variis lectionibus agitur, quae ab U[1] sunt additae.

[4]) omnino non intellego, quo modo Hob. illum Juliani locum I. 8b ἐν οὐδὲ ὅλοις ἔτεσι δέκα sententiae suae testimonio afferre possit. Quo loco plane aliter res se habet. Effertur enim vox ὅλοις („in nicht einmal ganz 10 Jahren") ita ut Jul. vocem οὐδέ nullo alio loco nisi ante ὅλοις ponere potuerit. Οὐδέ enim particula ante ἐν ὅλοις posita sensus plane disturbaretur.

invenitur: velut cf. ipsius Maximi locos hos: pp. 449, 5; 44, 12 aliosque permultos. Deinde inter omnes constat *οὐδέ* (ne — quidem) vocem nulli nisi ei voci anteponi, quae efferatur. Hoc loco *ἐν εἰρήνῃ* voces, ut ita dicam, u n a m tantum notionem efficiunt. Qua de causa nemo negabit *ἐν* et *εἰρήνῃ* distrahi non posse. Quo modo ortus sit falsus ille verborum ordo, facile est intellectu:

οὐδὲ
Exstabant olim in libro nescio quo haec: *ἐν εἰρήνῃ*, e quibus falsa collocatio fluxisse videtur. Animadvertendum est libros A Z falsam verborum collocationem correxisse.

Accedunt loci hi:

R (A W) **U**: 74, 15: *ἐπιστήμην ἀρετὴν* pro *ἀρετὴν ἐπιστήμην*, quod certe e coniectura unus Z codex praebet.

R (A Z) **U**: 134, 2: *αὐτοῖς δὲ* pro *αὐτοὶ δὲ*.

R (W Z) **U**: 400, 12: *Ἀραῖον* pro *Ἀριαῖον*, quod A.

Hic etiam commemorandi sunt hi loci 109, 14 et 371, 8.

109, 11—14[1]): *Ἀχιλλεὺς νῆσον οἰκεῖ εὐθὺ Ἴστρου κατὰ τὴν Ποντικὴν θάλατταν, Ἀχιλλέως ναός, καὶ βωμοὶ Ἀχιλλέως· καὶ ἑκὼν μὲν οὐκ ἄν τις προσέλθοι, ὅτι μὴ θύσων· θύσας δὲ ἐπιβαίνει τῆς νεώς* (ita R A W Z [*ν ή σ ο ν* i. mge R A] *νήσου* U ς).

371, 3[2]) sqq.: *Σύ μοι δοκεῖς οὐδὲ τοῦ ἡλίου ἀγαπᾶν τὸ φῶς, ὅτι ἐστὶν κοινὸν ὀφθαλμῶν πάντων· ἀλλὰ ἔδει γὰρ τὸν ἄνθρωπον μόνον ὁρᾶν, καὶ διὰ τοῦτο οὐκ ἀγαθὸν ἀνθρώπῳ τὸ φῶς· οὐδέ γε ὁ ἀὴρ εἰσπνεόμενός τε καὶ οἰκονομῶν τὰ σώματα ταῖς αὐτοῦ ὁδοῖς: οὐ ποταμῶν νάματα, οὐ γῆς καρποί· μέχρι* (ita r. Markl.; *μέρη* R [i. mge *π ε ρ ὶ*] W U³, *π ε ρ ὶ* U ς [H in mge *μέρη*]) *γὰρ τῶν ἀναγκαίων, ἐὰν προέλθῃς, πάντα κοινὰ* . . . .

Multo autem graviores his sunt permulti loci iam antea tractati[3]), ubi U cum R A W Z codicibus artissime congruit. Restant nonnulli loci, quibus U contra R A W Z veras praebet lectiones inprimis[4]) 107, 17 sqq.; 99, 11; 168, 6 sqq.. Qui loci quin coniecturis omnes sanari potuerint, nemo dubitabit. Id quidem certum est nos, quae e Ps.-Alcinoi, ⟨Albini⟩, Maximi (in codd. R W U Q V) operum ordine[5]), deinde e codicum orationum ordine numerationeque[6]) attulimus, argumentis assumptis concludere nunc posse etiam U librum ut A fluxisse

---

[1]) ceterum cf. p. 28. [2]) ceterum cf. p. 29 sq. [3]) cf. § 7. [4]) cf. § 8. [5]) cf. § 3. [6]) cf. §§ 4, 5.

e codice R. Inde autem quod liber U (s. XIII[1]) tot tantasque malas exhibet lectiones, malo deinde etiam orationum ordine usus est atque numeratione, elucet si non plura exemplaria certe unum ei iam antecessisse librariorum quorundam aut librarii alicuius manibus satis interpolata ita ut nobis quidem U codex ad recensionem, quae dicitur, redire videatur.

Duorum illorum ordinum cognatione tractata explicare liceat, quo modo alterius ordinis (sc. RAWZ) codices inter se coniuncti videantur:

Librum A

ex ipso R codice profectum esse optime confirmatur his potissimum locis:

RA: 76, 6: ὑγειατέρωννος R A ὑγείατέρωνος W ὑγιαζομένου Z ὑγιαίνειν U pro ὑγείας ἐρῶντος[1]).

! 100, 5: τὸ ἐμπαθεῖ R (p. corr. ex τὸ ἐμπαθὲς) A τῷ r. W Z U.

107, 5: τυραννουμένης R (νν ex ν) A (alt. ν supr.).

! 102, 2: γὰρ (quod certe delendum est) additum postea deleverunt R (tamquam aqua superfusa) A (lin. del.).

115, 10: ἔχειν pro ἔχει R A.

! 128, 9: σχολὴ pro σχολῇ R A (nisi quod -ή).

! 135, 13: διαφέρει R (δι suprascr. m. rec.) A (δι supr. et ἀφαιρεῖ corr. in αφέρει A.

135, 14: αἰσθητὸν pro αἰσθητοῦ R A.

117, 15: ἔμπλεκτον pro -ηκτον R A (supr. η).

Denuo igitur apparet librum A fluxisse ex ipso codice R.

Mirum autem videtur librum A, ipsius Regii filium, permultis locis non modo non eandem atque illum praebere corruptelam, sed etiam cum U et deterioribus libris in falsis lectionibus exhibendis congruere.

Velut: A contra R codicem veras praebet lectiones locis his:

399, 9 sqq.: hic ut ita dicam nidus corruptelarum exstat: *Τὸν μὲν γὰρ Ἡρακλέα οὐδὲ ἄλλοθεν οἱ ἄνθρωποι προσέθεσαν φέροντες τῷ Διὶ μέσης* (ita codd. RAWZUς) *τῆς* (om. W) *πρὸς τὰ κακὰ ὁμιλίας, ἀνάγωνισαμένης* (ita RW [nisi qu. *ἀ*^{α}*νγωνισ.*]

[1]) cf. p. 42 sq.

ἀγωνισαμένης U[1] *ἀνταγω* i. mge U[2 1]) *ἀνταγωνισαμένης* r. A Z) *αὐτοῖς της* (ita R Z *τῆς* W om. *τῆς* A U *τῆς* i. mge add. U[3]).

Ita legendum esse puto:

v. 11: . . ⟨*εἰ μὴ*⟩ *ἐκ μέσης* (Reiske) *τῆς πρὸς τὰ κακὰ ὁμιλίας ἀνταγωνισαμένης αὐτοῖς* (sc. *τοῖς κακοῖς*) *τῆς ἀρετῆς* (Dukas, cf. Hob. p. XII s. 5).

Non recte egisse mihi videtur Hob. *ἀν* literas ante *ἀγωνισαμένης* in R W exstantes ponens ante *φέροντες* (ceterum animadverte *ἂν* in U libri margine omnino non exstare sed *ἀνταγω* sc. -*νισαμένης*!). Neque enim habemus, cur indicativum modum *προσέθεσαν* in irrealem mutemus[2]). Deinde non intellego, quid Hob. cogitaverit scribens ‚*αὐτοῖς* sc. *τοῖς ἀνθρώποις*, pugnat enim pro hominibus'. Hob., si *αὐτοῖς* „dativum commodi" esse putat, valde errat, nam vocibus „pro iis", „pro hominibus" nihil nisi *ὑπὲρ αὐτῶν* responderet. Accedit quod verbum *ἀγωνίζεσθαι* nusquam apud Maximum vel apud alios, quantum video, cum dativo coniunctum invenitur: cf. pp. 400. 7. 9. 11. 12 alios locos, ubi semper *ἀγωνίζεσθαι πρός τινα* legimus, quae constructio etiam ab aliis auctoribus probatur. Cur hoc uno loco M. dicat *ἀγωνίζεσθαί τινι*? Neque dici posse mihi videtur ‚*ὁμιλία ἀγωνίζεται*'. Denique verbum *ἀνταγων.*, quod perfacile coniectari potuit, semper cum dativo coniunctum invenitur velut: Xen. Cyr. 1. 6. 8; 3. 3. 10; Thuc. III. 38; Plut. Dem. 29 alibi.

Non dubito quin illud *ἀνταγων.*, quod A Z U[2] recte praebent, coniecturae debeatur.

Ceterum cf. 395, 12, quem locum p. 56 sq. accuratius tractabimus: . . . . *Εἰ βούλει, ἄφελε μὲν τὴν δυσφημίαν, ἴσθι δὲ αὐτῷ* (ita R W *αὐτῶν* r. A Z U ς) *τὴν οὐσίαν οὐκ αὐθαίρετον οὖσαν τοῖς πονοῦσιν. κ. τ. λ.*

Deinde A cum U et deterioribus libris congruit his locis:

p. 88, 17 sqq.: . . . *θαυμαστὸν εἰ ταῦτα* (sc. *τὰ μαντεῖα*) *μὲν οὐδεὶς ἡγεῖται ἄτοπά τε εἶναι καὶ ἀκούσας διαπιστεύει* . . · *εἰ δὲ ἀνὴρ φύσει τε κεχρημένος γενναιοτάτῃ καὶ . . . καὶ . . . καὶ . . . καὶ . . . συγγίγνεσθαι τῷ δαιμονίῳ ἠξιώθη πρὸς τοῦ θεοῦ, θαυμαστὸν δοκεῖ καὶ ἄπιστον, καὶ τοῦτον, ὅσον αὐτῷ ἱκανὸν εἶναι,*

---

[1]) cf. contra Hob. de U i. app. crit. ad h. l.

[2]) tamen *φέροντες* suspectum videri potest. An legendum est *ἀναφέροντες* ut Plato Theaet. 175 a?

χρησμωδεῖν, οὐκ . . . . . οὐδ' εἴ τις ἤρα χρημάτων, εἰ πλουτήσει, οὐδὲ ἄλλό τι τῶν ἐπὶ μηδεμιᾷ προφάσει ἀξιόχρεω πραγματευομένων ὑπὲρ ὧν ὁσημέραι ἐνοχλοῦσιν οἱ ἄνθρωποι τοὺς θεούς (τάχα μὲν γὰρ καὶ ταῦτα ἦν ἱκανὸν καὶ τὸ Σωκράτους δαιμόνιον διειδέναι, εἴπερ ἦν μαντικόν)· καὶ γὰρ ἰατρῶν (ita solus R *ἄριστος* addunt A W Z U ς!) *ὅστις αὐτῷ ἱκανὸς καὶ ἄλλῳ . . .· ἀλλὰ ταύτῃ γε ὁ Σωκράτης ἐπλεονέκτει τῷ νῷ ταῖς τῶν θεῶν φωναῖς συγγιγνόμενός (τε) ὅτι τὰ αὐτοῦ . . . . .*

Sensus loci est: ‚Mirum est quod oraculis omnes fidem habent, dubitant tamen, si homo sapientissimus dignus a deo putatur, qui cum daemonibus commercium habeat, ... Mirumne[1]) videbitur aut fide indignum et hunc, quantum sibi satis esset, divinare potuisse, non ut . . . aut . . . aut . . . aut avarus (sc. quaerit) de divitiis aliisque eiusmodi parvae rei negotiis, pro quibus cotidie deos obtundunt homines? (Fortasse enim etiam haec sciebat Socratis daemonium, si quidem futurarum rerum non fuit ignarum.)‘. Verbis, quae sequuntur, sine dubio dicere vult M.: Nam etiam medicorum is, qui sibi sufficit (i. e. suadere potest), alii quoque (sc. sufficit i. e. alii quoque suadere potest). Nonne sic optimus efficitur sensus? Qua de causa nullus dubito, quin solus R liber Maximi vera verba tradiderit, praesertim cum voce ‚*ἄριστος*‘ recepta Socratis cum medico comparatio, ut ita dicam, claudicet. Neque enim Maximi interest ostendere eum optimum esse medicum, qui et sibi et alii sufficiat, sed ostendere medicorum sibi quemque sufficientem etiam alii sufficere. Quo exemplo usus M. sc. dicere vult: ‚ut is medicus . . . . ., ita etiam Socratis ***δαιμόνιον***, quippe quod ipsi Socrati sufficeret, sane aliis quoque sufficere potuit.‘

Quae cum ita sint, facere non possumus, quin concludamus vocem ‚*ἄριστος*‘ a librario nescio quo loci sensum non intellegente insertam esse in codicem aliquem — R libri fortasse filium —, ad quem redire videntur, certis sc. circuitibus, W U, cum A ex ipso hoc exemplari vel cognato illam vocem sumpserit.

Apparet igitur A codicis librarios iuxta ipsum R etiam alio codice usos esse. De hac re infra nonnulla adiungam.

Praeterea cf. locos hos:

---

[1]) cf. Reisk. ed. I. p. 252 in versione Latina.

p. 392, 6 [1]): *Εἰ δὲ θᾶττον μὲν ἀνάσχοιντο οἱ ὀφθαλμοὶ ἀυπνίας ἢ σταίη ὁ ἥλιος, θᾶττον δ' ἀνισταίη* (ita R W *δ' ἂν σταίη* A Z U ς) *ὁ ἥλιος ἢ ἀνέχοιντο οἱ ὀφθαλμοὶ ἀυπνίας, οὐκ εὐχῆς ἔργον ἡ πρὸς τὸ φῶς φιλία, ἀλλὰ ἀνάγκης ἡ πρὸς νύκτα συνουσία.*

398, 11 sqq. [2]): „. . . *καὶ τῷ Ὀδυσσεῖ* (sc. *ἐξῆν*) *οἴκοι μένειν περὶ τὸ Νήριτον τὸ εὔφυλλον* (cf. ι 27) *ἐν τῇ γῇ τῇ κουροτρόφῳ*', *ἢ τὸ τελευταῖον παρὰ Καλυψὼ ἴ . . ν* (ita R, om. *ἴ . . ν* A W Z U ς) *ἐν ἄντρῳ καταρρύτῳ καὶ κατασκίῳ, ὑπὸ Νυμφῶν θεραπευομένῳ, ἀγήρῳ ὄντι καὶ ἀθανάτῳ·*

aliosque locos [3]).

Denique ut ad A libri compositionem redeamus, dicendum est ipsius A codicis omnes quaterniones nullo loco voces additas vel omissas (velut *ἄριστος, τε; δ' ἂν σταίη* ex *δ' ἀνισταίη* etc.) suprascriptas vel in ipso A deletas exhibere, sed verba addita omnibus in quaternionibus, quamquam a compluribus librariis sunt scripti, iam inter ipsa Maximi verba coniuncta cum ceteris, verba vel literas omissa non in ipso A demum deleta inveniri ita ut in ipso A eiusmodi locis nullum corrigendi vestigium nobis occurrat, potius omnia verba continua legantur. Quod si consideraverimus et cogitaverimus in A (inde a quinto quaternione) aliam quemque quaternionem scripsisse manum, facere non poterimus, quin concludamus A libro ipsi exemplum antecessisse, in quod alio e codice eiusmodi correcturae essent illatae eo sc. consilio, ut A ipse „purus", si dicere licet, fieret liber. Simul autem non habemus, cur accipiamus alterum A codicis fontem (sc. iuxta R patrem adhibitum) ad exemplar melius libro R esse reducendum. Jmmo iam adhuc vidimus eiusmodi locos sine dubio coniectura sanatos esse. Quis enim negare vult locis p. 392, 7 (= p. 40 sq.) et 400, 7 (= p. 58) aliis A codicis et ceterorum utramque lectionem certe coniecturis deberi?

Si codicem W cum R comparaverimus, inveniemus hos codices in falsis lectionibus exhibendis congruere his potissimum locis:

---

1) cf. p. 40.

2) cf. p. 41.

3) cf. etiam p. 53 sq. (Hob. 89. 17 sqq.), ubi A cum cett. contra R *τε* vocem recte omisit, inprimis autem respice eodem loco paulo antea A W Z U ς *ἄριστος* vocem falso addidisse.

R W: p. 395, 12 sqq.: . . . *Εἰ βούλει, ἄφελε μὲν τὴν δυσφημίαν, ἴσθι δὲ αὐτῷ* (ita R W *αὐτῶν* A Z U ς) *τὴν οὐσίαν οὐκ αὐθαίρετον οὖσαν τοῖς πονοῦσιν. κ. τ. λ.*.

Priusquam ad veram lectionem restituendam aggrediamur, dicendum est, qui sit totius loci sensus.

Capite tertio ineunte M. loquitur de doliis binis in Jovis ‚alto cubili iacentibus[1])', ‚quorum altero omnia contineantur mala, boni nihil, cum in altero invenias utrumque mixtum'. Quod cum gravibus neque mitibus verbis explanaverit, ne offendat, qui legunt, lenioribus verbis (*εὐφημότηρον*) ‚*τὴν βελτίω παρὰ Διὸς νομὴν*' explicare vult (cf. p. 394, 12. 13). Quam viam ingressus pervenit ad virtutem improbitatemque animi. Incipit M. ab animi improbitate, ‚quae vitam plane disturbet'. At virtutis fontes ‚*βίον*' efficiunt ‚*ἔγκαρπον καὶ ἀρόσιμον καὶ τελεσφόρον*'. Deinde haec fere dicit: Colonus Aegyptius, postquam magno cum sudore ac molestiis agrum paravit, flumen vocat eique opus suum commendat. Ita fit, ut flumen misceatur cum agricolae sudore, cum labore spes, cum molestia fructus. Eodem modo bona sunt miscenda malis. Quibus rebus dictis animadvertit M. ‚malum' non respondere agricolae ‚sudori' et ‚labori'. Qua de causa haec addit verba (p. 395, 12 sqq.): *Εἰ βούλει, ἄφελε μὲν τὴν δυσφημίαν, ἴσθι δὲ* | *αὐτῷ -αὐτῶν* | *τὴν οὐσίαν οὐκ αὐθαίρετον οὖσαν τοῖς πονοῦσιν*. Nunc igitur quaerendum est, utrum *αὐτῷ* an *αὐτῶν* recte legatur[2]). Hoc modo res se habere videtur: Modo iam dixi M. recte intellexisse vocem ‚*κακά*' in comparationem vocari non posse cum agricolae ‚molestiis'. Quod mendum ut corrigat, in enuntiato illo ‚*ἴσθι δὲ* . . .' pro ‚malis' utitur vocibus (masculini sc. generis) ‚*οὐκ αὐθαίρετον οὖσαν τοῖς πονοῦσιν*'. Sed restat ut commemoret, cuius rei ‚*ἡ οὐσία οὐκ αὐθαίρετος*' sit laborantibus. Quod si quaerimus, voce *αὐτῷ* nobis non respondetur, quamvis aliqua voce, qua exprimuntur, quae in laborantium potestate sita non sint, carere omnino non possimus. Quid autem fit, si *αὐτῶν* pro *αὐτῷ* legimus? Qua forma recepta nonne optime perspicimus loci sensum? Dicere enim vult M.: illa ‚*κακά*' ne *τούτῳ τῷ* ‚*δυσφήμῳ*'

---

[1]) cf. Duebn. ed. ‚M. T.' Paris 1840 p. 14 v. 47.

[2]) perfacile oriri posse *αὐτῷ* sc. *αὐτῶι* ex *αὐτῶν* malescripto iam vidimus cf. etiam infra p. 57 sq.: sub 353, 11.

(i. e. ,κακά'!) ὀνόματι afficiamus, sed lenius dicamus[1]) ea esse ,ἀβούλητα, οὐκ αὐθαίρετα'.

Quibus de causis, quam Hob. recepit, sc. ,αὐτῷ' lectionem rectam non duco. Neque intellego, quo modo ille vir doctus ,αὐτῷ' scripturam defendere vult scribens: ,αὐτῷ sc. τῷ κεραννύναι'. Persuasum enim habeo Maximum, si miscendi vim in illo enuntiato iterum ponere voluisset, nullo modo id facturum fuisse voce ac forma ,αὐτῷ'.

Ceterum in R W librorum cognatione explicenda hos proferam locos:

! 392, 7: δ' ἀνισταίη (δ' ἂν σταίη A Z U) R W pro δ' αὖ σταίη. (cf. p. 40sq.).

! 399, 11: ἀνάγωνισαμένης (ἀν^α^γων. W) pro ἀνταγων., quod A Z U, R W (cf. p. 52sq.).

159, 18: μαντεῖα pro μαντεία R W.

! 125, 10: ἀνέδη pro ἀνέδην R W.

! 93, 3: αἰγίδἀνεζωμένην R (suprascr. α et σ litt.) W pro αἴγιδα ἀνεζ..

! 147, 9: φέρ' εἴδιω R φερ deinde duar. fere litt. spat. rel. διω W (supr. ἴδ' ὅ,τι W[2]) φέρ' εἴδω A Z U ς φέρε ἴδω Hob.

! 153, 19: παραβαλλομένων ἐν θαλάττῃ e lin. anteced. falso repet. R W (etiam A m. correctrice).

162, 15: σύνθεμα pro σύνθημα (cf. 166, 6; 152, 6. 11 al.) R W.

! 187, 8: ξυεργατῶν R (supr. ν) ξεργατῶν (supr. υν) W.

! 374, 7: ἀγρους R (supr. ί) ἀγροὺς W ἀγρίους U ς (des. A Z).

! 377, 2: κράτη τὰ γὰρ R κράτητα γὰρ W κρατεῖ· τὰ γὰρ . . U ς r.[2])

353, 12: ἡδίστης σώσισδ' ἐκ γῆς R W (n. qu. -σώσεις) inde ἡδίστης τῆς νεὼς οὔσης ἐκ γῆς coniect. U ς.

353, 11: αὐτῷ R W αὐτῶν r. U ς (cf. 395, 13! p. 56!).

Quamquam negari nequit[3]) W librum secundum verborum memoriam artiore ceteris cum R cognatione coniunctum videri, tamen eum ex ipso R fluxisse[4]) contendere non possumus, quia

---

[1]) cf. simul p. 394, 12: ,. . . εὐφημότερον δὲ ὀνομάζειν θέλω τὴν βελτίω παρὰ Διὸς νομήν· et p. 396, 18 (14sqq.): ,. . . ἐγὼ ἐπαινῶ βίον . . . . ἔχοντα μὲν τὴν ἀρετήν, χρώμενον δὲ αὐτῇ καὶ πρὸς ἀκουσίους τύχας.

[2]) cf. infra p. 70sq. [3]) cf. inprimis locos ! signo affectos.

[4]) quod putant Hob. p. L et Mutschm. p. 570.

vocem aliquam in R bene servatam sc. *εὔνεω* p. 396, 8 spatio relicto partim tantum exhibet (*εὔ* . . .). Qua e re elucet eius fontem hic fuisse mutilum ita ut W codicis librarius non iam cognoscere posset, quae olim exstitissent literae. Huic opinioni favet etiam, quod nonnullis locis consensui ς appropinquans minime idoneas praebet lectiones: velut pp. 397, 18; 394, 4. 6 alibi. Sed locos commemoratos si respicimus, certissime concludere possumus ita eum (sc. W) cum R congruere, ut viarum, quae paragrapho 3 (p. 12) exeunte aperiebantur[1]), alteram secuti statuamus etiam cum uno vel pluribus libris intercedentibus redire ad librum R.

R Z: Denique ut de codicum R et Z cognatione loquamur, dicendum est uno solo loco hos codices a nullo adiutos in falsa lectione praebenda congruere sc. p. 408, 18, ubi uterque *καρυερία* vocem, quam Hobeinium recepisse valde miror[2]), tradit, cum A W Z recte exhibeant lectionem *καρτερία*, quam e coniectura facile oriri potuisse nemo negabit.

Quamquam igitur adhuc de illorum R Z codicum cognationis ratione accuratius iudicare non possumus, tamen etiam Z certo circuitu ad R librum redire infra videbimus (p. 59).

A Z: Deinde in codicum classe, quam tractamus, artiore necessitudine inter se coniuncti sunt codd. A Z.

Quod docent loci:

400, 6: *Φέρε τοὺς ἀγωνιστὰς παρακαλῶμεν ἐπὶ τὸ στάδιον. Ἔχε, τίνες μὲν Ἀθηνῶν; Σωκράτης ἀγωνιούμενος* (*ἀγωνίμενος* R *ἀγωνισόμενος* A Z [-*άμενος*[3])] *ἀγωνιούμενος* r. W U ς) *πρὸς Μέλητον, καὶ πρὸς τὰ δεσμὰ καὶ τὸ φάρμακον. Ἐκ δὲ Ἀκαδημίας Πλάτων ἀγωνιούμενος πρὸς τυράννου ὀργὴν* . . . .

ἀγωνισόμενος futuri forma apud auctores posteriores tantum invenitur, qui ipsi perraro ea utuntur: velut Argum. Dem. 19; Jos. Index 3. 7. 15.[4]) Max. ipse semper *ἀγωνιούμενος* forma utitur velut 89, 10; 400, 11 alibi.

392, 7: *δ' ἂν σταίη* pro *δ' αὖ σταίη* (c. ς) A Z.

---

[1]) sc. ubi de Ps.-Alc., ⟨Alb.⟩, Maximi operum ordine et de Albino amisso diximus.

[2]) cf. etiam Mutschm. l. l. p. 581 fin. et init. p. 582, huius op. p. 71.

[3]) cf. contra Hob. i. app. crit. ad h. l.

[4]) cf. W. Veitch, Greek verbs, Oxon. 1879 pp. 16. 17.

401, 1: δαμάσας pro δαμάσσας A Z.
! 74, 16: add. ὁ A Z.
! 76, 15. 16: ὀνομάζομεν pro -ωμεν A Z.
77, 10: παρέλαβε pro παρέβαλε. A Z.
! 104, 5: οὐδὲν pro οὐδὲ (ν p. del. A) A Z.
121, 2: εἶχεν pro ἔχεν A (p. corr.) Z.
! 128, 2: ἢ om. A Z.
! 154, 14. 15: τῇ post ἐπὶ om.
! 156, 9. 10: οἱ add. A Z.
! 167, 8: ἔργωγ' ἂν Z ἔγωγ' ἂν ex ἐργ . . . A.
! 178, 11: μὲν add. A Z.
! 179, 3: οὐδὲ pro οὐ A Z.
! 183, 4: ἐστὶν om. A Z.
! 192, 21: μεστὸν iterav. post πόνων A Z.

Nonne dilucide apparet codd. A (s. XIV^{i}) Z (s. XV^{i}) artissime inter se cohaerere? Tamen cum Hobeinio nullo modo concludemus hos libros uni archetypo deberi. Nam: Z non ex ipso R fluxisse, quem A libri patrem esse demonstravimus, quis est qui neget? Potius ita res se habere videtur: Z librum cum A tot tantisque locis in pravis lectionibus tradendis congruere, in numeratione autem orationibus adhibita plane ab eo differre[1]) considerantes haud scio an recte c o n c l u d a m u s c o d i c e m Z ad A librum r e d e u n t e m ex alio (W? s. XIV^{i}) fonte numerationem α'—μα' hausisse. S i m u l a u t e m e l u c e t e t i a m Z c e r t o c i r c u i t u r e d i r e a d R.

W Z: Ipsi autem

codices W Z,

quos secundum orationum numerationem inter se cohaerere supra (§ 5) vidimus, in mendis exhibendis nullo alicuius momenti loco consentiunt. Qua de causa concludendum est: a u t W et Z libros ex exemplari communi numerationem sumpsisse a u t Z eam recepisse ex ipso W vel exemplari eius cognato a u t W librum e codice Z libro antecedente. Tres igitur aperiuntur viae. Cum vero Z ex A fluxisse supra iam concluserimus, eo inclino, ut Z numerandi rationem ex W, cui aetate suppar est, recepisse statuam.

---

[1]) memineris A α'—λε', Z autem α'—μα' numerare; cf. tab. II et § 5.

§ 10.

Omnes codices ad R redire quoniam vidimus, eo transeamus, ut examinemus, quanti lectiones ab U libri tribus manibus[1]) additae aestimandae et quo loco illae manus sint ponendae.

U^1: U codicis primae manus variae lectiones vel verba addita his potissimum exstant locis:

68, 13: *κλυδάζεται* U (supr. *ωνΐ*) *κλυδάζεται* r. R A W Z.

108, 1: (quem locum iam tractavimus p. 47): *τ' ἀνθρώπου* cum R A W Z etiam U (suprascr. *ἀν*).

108. 12: U: *τῇ γῇ*, R A W Z U (ex *τῇ γῇ*): *τὴν γῆν*.

111, 6: *διενεκεῖ* U (suprascr.) *πολυετεῖ* R A W Z U (i. ct.).

148, 1. 2: om. *ἀδικεῖν καὶ* R A W Z U (i. ct.) i. mge add. U.

163, 16: *ἐπομβρίας* U (corr. ex *ἀνομβρ.*) *ἀνομβρίας* r. R A W Z.

164, 16: *διοικήσεις* U cum R A W Z postea corr. in -*ΐσεις* U.

Quos locos si respexeris, invenies locis 68, 13; 111, 6 ipsius U codicis vel exemplaris antecedentis librarium voces non ita usitatas aliis certe explicare voluisse (velut vox *πολυετής* multo rarius quam *διηνεκής* usurpatur).

Neque pp. 148, 1. 2sqq. (qui locus satis est corruptus), 108, 12 (quo loco ipsius U librarius veram lectionem falsa iam recepta restituit), 163,16 (ubi *ἐπομβρ.* scriptum est a librario totius loci sensum non intellegente) dubitari potest quin U libri primae manus lectiones contra R (A W Z) codices exstantes certe coniecturis debeantur.

Paulo aliter res se habere videtur locis 164, 16; 148, 1. 2; 108, 1: p. 164, 16: *διοικήσεις* U cum R A W Z, postea correct. in -*ΐσεις* U^1 denuo apparet U codicis librarium codicum R (A W Z) lectionem -*ήσεις* mutasse in -*ίσεις*[2]), quam formam equidem rectam duco (nam animadverte Reiskii ed. I, 369sq.): ‚Quodsi oraculum divinum mentemque humanam distrahes et distingues (*διοικΐσεις* non *διοικήσεις*), harmoniam coniunctissimam dissolves'. Literarum *η* et *ϊ* mutatio tam est crebra in codicibus, ut omnino non necesse sit hoc loco nos commoveri, ut credamus U codicis librarium hic fonte usum esse meliore codice R.

---

[1]) de quibus cf. supra p. 6sq.: U^1 (vel U) = manus, quae ipsa verba scripsit; U^2 invenitur in orr. 6—15, U^3 in orr. 30—35, 1.

[2]) unde pervenit in ‚vulgatam'.

Neque aliter loco sequente (p. 148, 1. 2) iudicandum esse puto: p. 147, 10sqq.: *Εἰ μὲν γὰρ τὸ ἀδικεῖν καὶ τὸ ἀδικεῖσθαι τοιοῦτόν ἐστιν, ὁποῖον τὸ τύπτειν καὶ τύπτεσθαι . . . οὐδὲν δεινὸν τὸν αὐτὸν καὶ δραστικὸν ὁμοῦ εἶναι ἀδικίας καὶ παθητικόν· εἰ δ' ἐνταῦθα ὁ αὐτὸς μὲν τῇ κοινότητι τῆς φύσεως ἐνέργειαν καὶ πάθος, ἑκάτερον αὐτῶν, καταδέχεται, ἔοικεν τὸ ἀδικεῖν καὶ ἀδικεῖσθαι πολὺ μᾶλλον τῷ δρᾶν καὶ δρᾶσθαι· δρᾷ μὲν γὰρ* (ita cum U^2 H^2 legendum. *Ὁρᾷ γὰρ* B, *οἱ μὲν γὰρ* H *τὸ μὲν γὰρ φα* [*δ*] A^1 [corr. in *ὁ μὲν* . . $A^{m.c.}$] *τοῦ δρᾶν* Z *ὁ μὲν γὰρ* R $A^{m.c.}$ W U cett.) *τὸ μετέχον ὄψεως, τὸ δὲ δρώμενον οὐ πάντως καὶ δρᾷ, μᾶλλον* (ita legendum cum U A [corr. ex *δρᾶν*] O B H, *δρᾶν* R A [*ν* postea del.] W Z P M N; ceterum inde a *μᾶλλον* voce enuntiatum posterius incipit) *οὑτωσὶ λέγωμεν, ὅτι ἔοικε τὸ ἀδικεῖν καὶ* (*ἀδικεῖν καὶ* om. R A W Z B M N O, habent U^1 [additum i. mge] P H? *φα*) *ἀδικεῖσθαι τῷ ἐλέγχειν καὶ ἐλέγχεσθαι·*

Hunc locum etiam in U libri fonte corruptum fuisse primum haud scio an ex ea re eluceat, quod voces *ἀδικεῖν καὶ* i. mge scriptae inveniuntur, deinde ex eo, quod etiam in U verba vv. 4. 5 exstantia non recte sunt tradita. Qua de causa id solum quaerere debemus, utrum U codicis librarius voces *ἀδικεῖν καὶ*, quae sane supplendae sunt, ex alio libro hauserit, qui Maximi verba melius ceteris servaverat, an ipse eas deesse intellegens margini adscripserit. Mihi quidem, quam facile vocibus „. . . *τῷ ἐλέγχειν καὶ ἐλέγχεσθαι* . .‘ respectis vir doctus voces ‚*ἀδικεῖν καὶ*‘ addere potuerit, cogitanti non dubium videtur quin etiam hic coniecturam ante oculos habeamus.

Restat igitur unus locus 108, 1 (*τ' ἀνθρώπου* pro *ἀντ' ἀνθρώπου* R A W Z U [*ἀν* supr. U^1]), de quo iam supra (p. 47) locuti sumus; etiam hic locus mihi librarii nescio cuius (ipsius U?) ingenio sane optime sanatus videtur.

Vidimus igitur U libri primam manum nonnullis locis nihil afferre nisi lectiones, quibus fere voces non ita usitatae explicentur. Neque vero his[1]) neque ceteris locis, ubi U^1 lectiones sane bonas et veras exhibet, cogimur putare codicis U vel antecedentis exemplaris librarium iuxta R fonte usum esse ipso R meliore. Potius nos totam quaestionem

[1]) cf. locos p. 60 allatos.

excutientes eo inclinamus, ut statuamus U libro recensionem, quae dicitur, antecessisse, in quam librarius vel librarii, viri sc. docti, permultis locis vera verba restituere conati modo non sine magna sollertia idoneas, modo quidem non ita aptas intulerunt lectiones.

U²: Sed iam quaerere liceat, quanti altera U libri manus (U²) aestimanda, quo loco ponenda videatur.

Quod ut intellegas, hos tibi profero locos[1]):

65, 13: *θεῶν* pro *θεοῦ* U², r. RAWZU¹.

! 66, 4: *πρὸς ταύτην καὶ ἐς τὴν τῶν πολλῶν* U² (i. mge) *ταύτην ἐστὴν* RW *ταύτην ἐς τὴν* (*ἐς* in ras.) A *ταύτην . . τὴν* Z *ταύτην δὴ τὴν* U¹.

! 68, 6: *περὶ γεράνων* i. mge U² (cum RA!).

! 68, 17: *περὶ ἐλάφων* i. mge U² (cum RA!).

79, 13: *πόλεμον οὐκ οἶδε νόσος* U² (et i. mge *εἶναι*), *πόλεμον οὐκ εἶναι νόσον* RAWZU¹.

! 136, 2: *ἀνακιρναμένη* r. RAZU², *-άμενα* WU¹ς.

! 124, 1. 2: *κλονήσας* r. RAWZU² *κινήσας* U¹.

! 113, 18: *ἔμπαλιν*, quod om. U¹, supr. U² cum RAWZ.

! 121, 14: *αὐτῶν*, quod hab. RAWZ, om. U¹, add. U².

121, 20: *γίγνεται* RAWZU¹, *-σθαι* f. U².

! 124, 22: *οἶδε γὰρ*, quod om. U¹, supr. (cum RAWZ) U².

! 139, 19: *γεννητὴν*, quod r. RAW, etiam U² *γενητὴν* Z, *γενέτην* U¹.

! 141, 10: *γρ. ἅτε ἐκείνου ἔγγονα ἀκριβῆ* cum RAWZ etiam U², *ἅτε ἔγγονα . .* U¹.

! 143, 15: *εἰδῆ* U² cum RAW *ἴδη* ZU.

! 145, 14: *ἂν σκολιαῖς* RAWZU² *ἢ σκολ.* U¹.

! 164, 16: *μαντικῆς* U¹ *γρ. συμπλοκῆς* U² (RAWZ).

187, 5: *πρὸς τὴν σωτηρίαν* om. U¹, i. mge add. U², hab. RAWZ.

209, 12: (desunt AZ!) *οὐ ταὐτὸ* U¹ *οὐ ταὐτὰ* RWU²

211, 3: (desunt AWZ!) *ἀλλ' ἔξεστίν που* (cf. l. 4/5!) r. RU¹ *γρ. ἀλλ' ἔστι που* U².

! 280, 18: *ἐκ γῆς καὶ ὄρθιον* U¹ (coniect.) *γρ. ἔγγησον* (corrupt. loc.), quod R (s. acc.), U².

---

[1]) sc. etiam hic graviores tantum locos attuli.

Primo, ni fallor, oculorum obtutu cognosces secundam U codicis manum fere semper easdem atque R (A W Z) veras praebere lectiones velut: 113, 18; 121, 14; 124, 22; 141, 10; 143, 15; 145, 14; 209, 12; 124, 1. 2; 139, 19; 136, 2; 164, 16.

